EMENDATIONES ET EXPLICATIONES

PROPERTIANAE

SCRIPSIT

BERNHARD RISBERG
PHIL. DOCT.

APUD
LUNDEQUISTSKA BOKHANDELN
VPSALIAE


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

EMENDATIONES ET EXPLICATIONES PROPERTIANAE

SCRIPSIT

BERNHARD RISBERG
PHIL. DOCT.

VPSALIAE
TYPIS DESCRIPSIT ALMQVIST & WIKSELLS A.-B.
M D CCC XCV

CAP. I.

De non nullis locis scribendis et interpretandis.

I 3, 13—20.

Et quamvis duplici correptum ardore iuberent
Hac Amor hac Liber, durus uterque deus,
Subiecto leviter positam temptare lacerto
Osculaque admota sumere et arma manu,
Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem,
Expertæ metuens iurgia sævitiæ,
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis,
Argus ut ignotis cornibus Inachidos.

VAHLENO[1], qui cum LACHMANNO[2] *et arma* (v. 16) a poetæ manu profectum censet, adsentiri non possum, non quo talem sententiæ formam, nedum sententiam ipsam, a Propertio prorsus alienam credam[3], sed quia ab hoc tenerrimo et suavissimo loco abhorrere puto. Non apta mihi hic videtur nisi osculorum mentio, quem ad modum Propertius, cum aditum apud Cynthiam valde similem depingit II 29, scripsit (v. 39):

[1] Beiträge zur Berichtigung des Prop., Monatsber. der kgl. preuss. Akad. der Wiss. zu Berlin 1881 pp. 353 sq.

[2] In edit. 1816.

[3] Quanquam versus, quos LACHMANN adtulit (III 20, 19 sq.: *Quam multæ ante meis cedent sermonibus horæ, Dulcia quam nobis concitet arma Venus!),* multo sunt elegantiores.

Dixit et opposita propellens savia dextra
Prosilit.

Accedit ea difficultas, quod ad *arma* non solum *sumere* alio sensu scriptum esset, sed etiam *admota manu.* Quid multa? Scripsit, ut opinor, Propertius:

Osculaque admota sumere inerma manu.

Inerma i. e. 'quæ defendere non possit, quippe quæ dormiat cuiusque capiti manus admoturus sit Propertius'. Simili sensu Ovidius scripsit Met. IV 358 sq.:

Pugnantemque tenet luctantiaque oscula carpit,
Subiectasque manus invitaque pectora tangit.

Luctantia est: 'quæ vi carpenda sunt'. — Iam vero verba *admota manu* et *inerma* coniuncta singulare perspicuitatis lumen descriptioni adferunt. Cfr Tib. II 5, 91 sq.

natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.

Si quis librarius pro *inerma* legebat *in erma,* non potuit non *in arma* corrigere; tum alius, ut sententiæ subveniret, *et* pro *in* scripsit, qua interpolatione fere nulla est usitatior. Cfr ex. gr. II 34, 4.

I 4, 11—14.

Hæc sed forma mei pars est extrema furoris:
Sunt maiora, quibus, Basse, perire iuvat,
Ingenuus color et multis decus artibus et quæ
Gaudia sub tacita dicere veste libet.

Bährens in apparatu critico ad v. 14 (ipse scripsit *mente*) adnotavit: "sed gaudia venerea hic, ubi post v. 11 de solis animi dotibus agitur, commemorare prorsus absonum". Num igitur vir doctus etiam colorem animi virtutibus adnumerat? Sed gaudia Veneris hic spectari certo

docet locus quidam epistulæ Sapphus (vv. 31—50), ubi hæc easdem quattuor res eodem ordine enumerat, formam, faciem, artes, opus Amoris. Formam et candorem a se abiudicat (est enim brevis et fusca), vindicat sibi blandam artem versus suos recitandi cantandique et iucundissimam in re venerea lasciviam. Itaque priores editores (PASSERATIVM, BROUKHVSIVM, LACHMANNVM), *ducere* (i. e. 'haurire') cum Italis scribentes, sequor et *sub tacita veste* verto 'sub muta (secreta) stragula lecti'[1]. *Ingenuus color* est 'nativus candor faciei' vel fortasse 'speciosus' coll. Mart. III 33:

Ingenuam malo, sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est:
Extrema est ancilla loco: sed vincet utramque,
Si facie nobis hæc erit ingenua

et Ov. Am. I 7, 49 sq.

At nunc sustinui, raptis a fronte capillis,
Ferreus ingenuas ungue notare genas.

I 5, 13.

A! mea contemptus quotiens ad limina curres.

Mea, quanquam neminem offendisse videtur, adsurdum est, cum appareat agi de amatore a Cynthia mox aversata non recepto. 'Alligat' (v. 12) Cynthia amatorem, ut iterum atque iterum ad limina eius[2] currat, misere queratur, desperatus mente alienetur. Postremo nihil adsecutus domum abire (v. 20) cogitur[3]. At unde ille *timor* (v. 16) signaque maximi præsentis timoris (vv. 14 sq., 17 sq.), si

[1] Ita fere PASSERATIVS, BARTH, ed. LEMAIRE. Cfr etiam Iuv. VI 537 *violato cadurco.* Nisi forte *gaudia ducere sub tacita veste* idem valet atque *in tacito sinu gaudere* (Tib. IV 13, 8).

[2] In domo Propertii Cynthia non habitabat.

[3] Cfr Hor. Od. III 10.

ad Propertium amicum veniret Gallus? Si autem 'limen' est Cynthiæ, tollitur etiam difficultas, qua motus LACHMANN 'domum' in 'domo' (sc. Cynthiæ) corrupit. Itaque, nisi forte *mea* pro 'a me frequentata vel celebrata' (cfr III 24, 2 *oculis superba meis*) dictum esse potest, versus est aliquo modo emendandus.

Proposuerim:

Amens, contemptus, quotiens ad limina curres.

'Amens' occurrit simillimo usu Ov. Am. III 11, 25 *præceps amensque cucurri,* A. a. I 527 *amens errabat.* Cfr etiam Am. III 14, 37: *Mens abit et morior, quotiens peccasse fateris,* Tib. II 6, 51: *tunc mens mihi perdita fingit, Quisve meam teneat, quot teneatve modis.* — Si *amens* legebatur *a meus,* prona erat correctio *a mea.*

I 5, 25—28.

Quod si parva tuæ dederis vestigia culpæ,
Quam cito de tanto nomine rumor eris?
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
Cum mihi nulla mei sit medicina mali.

PASSERATIVS et post eum BROUKHVSIVS, BARTH, alii [1], et nuper POSTGATE *vestigia tuæ culpæ* accipiunt 'signa amoris'. At si ad *dederis vestigia* audiunt 'aliis', inepta fit sententia; nam toto hoc carmine agitur de molestiis a Cynthia ipsa rogata ortis (cfr v. 32), neque Gallo, qui magnam propter deceptas puellas famam adeptus esse dicitur I 13, 5 *(tibi deceptis augetur fama puellis),* amor Cynthiæ apud populum obesse poterat [2]. V. 26 est accipiendus de Cynthia

[1] HERTZBERG tacet.

[2] Meliorem certe sententiam efficit KVINOEL, qui *culpæ* vertit 'poenæ sc. te exclusum esse' (Ita fere etiam PALEY: 'evil practices'). Sed dubito, an ita verti non possit.

Gallum diffamante coll. I 4, 22, II 24, 7. Si vero volunt cogitari 'Cynthiæ' (nam nihil certi e commentariis concludere licet), non minus ineptus fit conexus illa interpretatione, cum iam v. 9 Gallus ad Cynthiæ consuetudinem admissus, quanquam non raro exclusus, fingatur. Equidem *vestigia tuæ culpæ* accipio 'vestigia tuæ alicuius culpæ' vel 'vestigia te peccasse' vi quadam voci *tuæ* Cynthiæ oppositæ addita. Cfr III 8, 24 *sive meas lacrimas sive videre tuas,* IV 11, 42. *Culpa* vero est 'infidelitas' vel 'consuetudo cum aliis puellis habita', velut IV 8, 73 *admissæ si vis me ignoscere culpæ,* Cat. 68, 138 sqq. *sæpe etiam Iuno, maxima cælicolum, Coniugis in culpa flagrantem continet iram, Noscens omnivoli plurima furta Iovis,* Ov. A. a. II 389, Ep. XV (XVI) 286.

Ad ipsam rem cfr etiam III 16, 9:

Peccaram semel et totum sum pulsus in annum.

I 8, 9—10.

O utinam hibernæ duplicentur tempora brumæ,
Et sit iners tardis navita Vergiliis,
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis harena,
Neve inimica meas elevet aura preces,
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Cum tibi provectas auferet unda rates,
Et me defixum vacua patiatur in ora
Crudelem infesta sæpe vocare manu.

Hi versus omnes editores cruciarunt, sed supersedebo commenta eorum fusius referre. Meam tantum sententiam proferam.

Neque illud *subsidere* nexui respondere censeo nec credo *tales ventos* posse verti 'ventos, qui nunc mare

possident et te remorantur[1], nec puto Vahlenvm quicquam profecisse *ut*[2] (v. 15) pro *et* rescribentem[3].

Hæc duo a Propertio optata exspectaverim: 'Vtinam gravis hiems te diu impediat neve tu post hiemem ventos nacta secundos proficiscaris'. Atque v. 12 in parenthesi, quæ dicitur, includendus est[4], ut qui ad vv. 9 sqq. spectet, solito illo poetarum more de ventis vota rapientibus loquendi positus. Cfr Ov. Am. II 11, 33 sq. *(at si vana ferunt volucres mea dicta procellæ, Aequa tamen puppi sit Galatea tuæ),* 14, 41 sq., A. a. I 388 *(nec mea dicta rapax per mare ventus agit).* Si deinde levissimis mutationibus scribimus *ne*[5] pro 'nec' (v. 11), *auferat*[6] pro 'auferet' (v. 14), *succedere*[7] pro 'subsidere' (v. 13) i. e. 'hiemis asperitatem sequi' (coll. I 13, 27 *nec tibi præteritos passa est succedere fastus,* Verg. Ge. III 138 *rursus cura patrum cadere et succedere matrum Incipit),* habemus optimam cohærentiam atque eam ipsam, quam me exspectare dixi. Vox *tales* tum nimirum refertur ad versus, qui sequuntur (14—16).

O utinam hibernæ duplicentur tempora brumæ,
Et sit iners tardis navita Vergiliis,
Ne tibi Tyrrhena solvatur funis harena,
(Neve inimica meas elevet aura preces!)

---

[1] Lachmann, quem secuti sunt Paley, Vahlen alii. At adsentior Hertzbergio scribenti (III p. 28): "de his neque antea sermo fuit nec quomodo ventis adversis et remorantibus ratis provehi et auferri possit, ullo modo intelligitur".

[2] 'Ut' iam Kvinoel.

[3] Üb. zwei Eleg. des Prop., Monatsber. d. kgl. pr. Akad. der Wiss. zu Berlin 1882 p. 265. Cfr Otto, Versumstell. I p. 5.

[4] Hoc suadet iam ed. Lemaire.

[5] Ita Bvrmann. Ad 'ne' et 'nec' confusa cfr I 9, 32. 20, 13. IV 5, 60.

[6] Iam Itali.

[7] Heinsivs coniecit 'faciles succedere ventos' (Kvinoel II p. 61).

Atque ego non videam tales succedere ventos,
Cum tibi provectas auferat unda rates
Et me defixum vacua patiatur in ora
Crudelem infesta sæpe vocare manu.

I 15, 39—40.

Quis te cogebat multos pallere colores
Et fletum invitis ducere luminibus?

Cogebat mihi suspectum est, quoniam de Cynthia miram speciem veræ fidei præ se ferente agitur, cfr vv. 34 *(credita perfidia est)* et 42 *(o nullis tutum credere blanditiis).* Ad *colores* autem attributum desideratur tale fere quale *invitis* ad *luminibus* positum. His causis ductus conicio Propertium scripsisse:

Quis te credebat fictos (vel *falsos*) *pallere colores*
Et fletum invitis ducere luminibus?

Cfr Ov. Ep. VI 63 *lacrimis in falsa cadentibus ora,* Ter. Heaut. 888 *voltus quoque hominum fingit scelus,* Maximinian. V 11 sq. *nunc aderant lacrimæ, gemitus, suspiria, pallorque, Et quidquid nullum fingere posse putes.*

I 16, 21—22.

Nullane finis erit nostro concessa dolori,
Turpis et in tepido limine somnus erit?

Non possum editores non vituperare, quod ad unum omnes scriptura codicum reiecta cum Italis *tristis* scripserunt. Nisi forte vel sic huic elegiæ satis tristitiæ non inest! Opinor iis persuasisse Broukhusium scribentem: "quid sit turpe non curant amatores, quibus utique inutilis est pudor". Sed recte Barth, qui tamen *tristis* veram scripturam esse putat: "etsi amatores plerumque pudore destituuntur, interdum tamen idem, apud hominem ingenuum certe, re-

currit et notas sui prodit". Atque quid Propertius ipse de amore repudiato senserit, licet cognoscere ex II 16, 35 sq.:

A pudeat certe, pudeat! nisi forte, quod aiunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet

et III 21, 33 *turpi fractus amore.*

Similiter Ovidius (Am. III, 11) amori, quo irretitus sustinuit (vv. 9 sq.)

foribus tam sæpe repulsus
Ingenuum dura ponere corpus humo,

succlamat (v. 2):

Cede fatigato pectore, turpis amor.

Proinde ne dubites codicum lectionem iniuria spretam reponere.

I 17, 1—4.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
Nunc ego desertas alloquor alcyonas.
Nec mihi Cassiope solito visura carinam,
Omniaque ingrato litore vota cadunt.

Omnes fere editores, futuri temporis forma *visuri,* nisi fallor, moti, Cassiopen de oppidulo quodam Epiri accipiunt. Ineptissime, si quidem *solito* servant [1], quasi Propertius soleret in his regionibus navigare. Nec multo meliorem reddunt sententiam coniecturæ, quæ prolatæ sunt, velut *solidam* [2],

---

[1] Kvinoel (solito = ex solito), Keil, Paley, Haupt-Vahlen.

[2] Wyttenbachii, qua arrepta Hertzberg scribit (T. III p. 64): "Ingeniosam Wyttenbachii coniecturam recipere non dubitavi, quam Bibl. crit. Amstell. II, 2, p. 10 proposuit. Nec credo Lachmannum, si eam rescivisset, fuisse dubitaturum." Qua de re fallitur diligentissimus ille vir, nam diserte apud Lachmannvm adnotatum est: "Ista incommoda ne correctorum quidem ullus vitavit præter virum doctum in Bibliotheca critica II, 2. pag. 10. tentantem reponere solidam visura carinam est; modo ne carinam otioso epitheto ornasset; nam ut solidam intelligamus

EMENDATIONES ET EXPLICATIONES PROPERTIANAE

SCRIPSIT

BERNHARD RISBERG
PHIL. DOCT.

VPSALIAE
TYPIS DESCRIPSIT ALMQVIST & WIKSELLS A.-B.
M D CCC XCV

TONI[1] versum priorem non satis fecisse. Propertius dicit: 'laus est ad finem vitæ amare (cfr v. 46 *conterat diem*), laus altera[2] fidum unam[3] puellam redamantem et fidam[4] amare. Opto, ut puella mea fidam se præstet (quod etiam spero: 49, 50), ipse certe fidus manebo'. Quid in his reprehendendum? Immo omnia apta et vera.

II 2, 5—12.

Fulva coma est longœque manus, et maxima toto
Corpore, et incedit vel Iove digna soror,
Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferœ pectus operta comis;
Qualis et Ischomache Lapithœ genus heroine,
Centauris medio grata rapina mero,
Mercurio satis fertur Boebeidos undis
Virgineum primo composuisse latus.

Comparatio, quæ v. 6 quodammodo indicatur voce *digna*, v. 7 prorsus deest. Quare iam Itali coniecerunt *ut cum;* tum autem desideratur coniunctio. Repone:

Aut ceu Dulichias Pallas spatiatur ad aras.

Facillime *ceu* et *cū* confundebantur.

Qua vero ratione vv. 11 sq. sint emendandi, affirmare non audeo. Sed quo modo OTTO[5] eos exposuit: 'priusquam Pirithoo nuberet, etiam virgo fertur ad lacum Boebeida, Mercurio sacrum[6], accubuisse' hæc addens: 'iam vides non certam aliquam fabulam huic loco subesse, sed pulchritudi-

---

[1] Berl. Phil. Wochenschr. 1884, N:o 11; coniecit: laus altera si datur, u n u m Posse frui.

[2] Amantes enim mutuo amore constrictos sæpe laudarunt poetæ.

[3] Cfr vv. 55 sq.

[4] Hoc in *fruendo* continetur.

[5] De fab. Propertianis Partic. II p. 19.

[6] Accepit PASSERATII *sacris*.

nem tantum designari Hippodamiæ', non licet eos intellegere. Nam illud *fertur* non potest adhiberi nisi certa quadam re fabulosa respecta. Ceterum tum totus versus undecimus esset otiosus.

II 9, 1—2.

Iste quod est, ego sæpe fui: sed fors et in hora
Hoc ipso eiecto carior alter erit.

Eiecto est codicis D lectio, et sic omnes editores scripserunt. At maiorem fidem habet scriptura *electo,* quæ in NVF invenitur, neque deteriorem reddit sententiam. Vehementius quidem 'eiecto' est, sed cum irrisione quadam (cfr v. 24) satis bene diceretur: 'mox alter carior erit quam hic ipse, quem tibi nunc carissimum elegisti'. Cfr Ov. Met. X 317 sq.:

Ex omnibus unum
Elige, Myrrha, virum.

Pro *eiecto* autem potius exspectaveris 'excluso', cum 'eicere' videatur dici de uxore repudianda coll. huius poetæ II 21, 11 sq.:

Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
Eiecta est, tenuit namque Creusa, domo[1].

II 16, 19—28.

Atque utinam Romæ nemo esset dives et ipse
Straminea posset dux habitare casa!
Numquam venales essent ad munus amicæ
Atque una fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes seiuncta cubaris,
Candida tam foedo bracchia fusa viro,

[1] Cfr Rossberg, Lucubrat. Prop. p. 33.

Non quia peccaris (testor te), sed quia vulgo
Formosis levitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis
Et subito felix nunc mea regna tenet.

Sic habet VAHLEN hos versus scriptos. Sed displicet hæc scriptura non solum quod Italorum coniecturæ 'peccaris' (cod. *peccarim*) et 'excussis' (*exclusit* N, *exclusis* ceteri) sunt receptæ et versus 23—26 quasi pendent, sed quia horum versuum omnino fere nulla evadit sententia.

Vv. 25 sq. sine dubio cum vv. 27 sq. conecti debent. Quia Cynthia, sicut omnes puellæ, levis est [1] i. e. donis flecti potest, prætor ille regnum Propertii tenet. Tum elucet *peccarim* verum esse, id quod etiam verba quæ adduntur *testor te* probant; iam vero vv. 23 sq. non possunt cum iis qui sequuntur cohærere. Et facile credideris *non quia* scribam aliquem lapsu oculorum e v. 25 in priorem hexametrum intulisse. Pro *non quia* scribendum censeo 'nec iam' (vel 'non iam') et pro *cubaris* 'cubares'. Postquam *non quia* irrepsit, etiam forma illa *cubaris* sua sponte extitit [2]. Ceterum censeo codicis N lectionem *exclusit* non esse spernendam [3]. Nam ad metrum nihil distant II 8, 8, IV 1, 17 *(nulli cura fuit externos quærere divos),* et auditur me, ut Propertius sæpius pronomina personalia omisit [4]. Cfr I 6, 21 sq.:

Nam tua non ætas umquam cessavit amori,
Semper at armatæ cura fuit patriæ,

---

[1] Cfr II 25, 22: *nulla diu femina pondus habet.*

[2] 'Numquam — cubares' iam PALMER coniecit, quod tamen non arridet, quia *numquam* hoc versu alio sensu positum esset atque v. 21.

[3] Ceterorum codicum *exclusis* ad *lumbis* est accommodatum.

[4] Vide POSTGATE, Introduction p. 123.

I 8, 19 sq.:

Vtere[1] *felici prævecta Ceraunia remo,*
Accipiat placidis Oricos æquoribus.

I 1, 23. 3, 30. III 11, 68. 24, 6.

De verbis *agitat vestigia lumbis* interpretandis vide HERTZBERGIVM ad hunc locum (III p. 142).

Scribo igitur hos versus:

Atque utinam Romæ nemo esset dives, et ipse
Straminea posset dux habitare casa:
Numquam venales essent ad munus amicæ,
Atque una fieret cana puella domo,
Nec iam septenas noctes seiuncta cubares,
Candida tam foedo bracchia fusa viro.
Non quia peccarim (testor te), sed quia vulgo
Formosis levitas semper amica fuit,
Barbarus exclusit: agitat vestigia lumbis,
Et subito felix nunc mea regna tenet.

II 19, 19—20.

Incipiam captare feras et reddere pinu
Cornua et audaces ipse monere canes.

BÄHRENS in apparatu critico scripsit: "captare feras neque cum sequentibus videtur convenire neque in initio apparatus venatici locum habere; fortasse Incipiamque aptare feros (= equos)".

Scrupuli illi nihili sunt. Nam voce feræ significantur non solum bestiæ illæ rapaces et infestæ, velut leones, apri, sed vel 1) omnino 'bestiæ', ut Ov. Met. XV 83 sq.:

---

[1] Si hæc lectio vera est. Cfr HOUSMAN, The manuscripts of Propertius, Journal of Philology Vol. XXI (N:o 42) p. 170.

Carne feræ sedant ieiunia, nec tamen omnes:
Quippe equus et pecudes armentaque gramine vivunt,

vel 2) 'villebråd', germ. 'Wildpret', ut Ov. Fa. II 163:

Mille feras Phoebe silvis venata redibat,

Verg. Ge. I 139 sq.:

Tum laqueis captare feras[1] *et fallere visco*
Inventum et magnos canibus circumdare saltus,

vel 3) peculiariter 'cervi', velut Lucr. IV 678 sqq.:

tum fissa ferarum
Ungula quo tulerit gressum permissa canum vis
Ducit

et IV 991 sqq. et fortasse Stat. Achill. I 626 sq.:

— non tela licet Mavortia dextra,
Non trepidas agitare feras

et sine ullo dubio hoc loco, ut patet e verbis sequentibus *reddere pinu cornua.* Antiqui enim illi cornua cervorum arboribus affigere solebant, cfr Ov. Met. XII 266 sq.:

telique habet instar, in alta
Quæ fuerant pinu votivi cornua cervi.

Etiam in alio Metamorphoseon loco, I 475 sq.:

Silvarum tenebris captivarumque ferarum
Exuviis gaudens,

videntur vocibus 'ferarum exuviæ' cornua cervorum significari. Ad *captare* intellege 'plagis' coll. Verg. Georg. I 307 *retia ponere cervis* et III 371 sq.:

Hos (= cervos) *non immissis canibus, non cassibus ullis*
Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ.

Itaque bene convenit sententia cum sequentibus (nam vv. 21 sq., ut opinor, Bährens respexit). Neque tenet locum

[1] Videntur respici aves vel lepores.

minus aptum, cum poeta ante dixerit *venabor,* et verba *reddere pinu cornua* ad priora *Veneri ponere vota* (cfr versus illos Ov. Met. XII 266 sq., quos supra exscripsi) referantur.

In v. 20 utrum scribendum sit *monere canes* cum N an *movere* cum ceteris libris, non ita facile diiudicatur. Huic lectioni favent locus ille Vergilii (Georg. III 371 sq.) et Ov. Ep. V 19 sq.:

Retia sæpe comes maculis distincta tetendi:
Sæpe citos egi per iuga longa canes,

illi vero duo alii Ovidii loci, Ep. IV 44 sq.:

pressisque in retia cervis
Hortari celeris per iuga summa canes,

et Met. X 535 sqq., quo totum hunc Propertii locum (17—24) videtur leviter imitatus esse:

Per iuga, per silvas dumosaque saxa vagatur
Fine genu vestem ritu succincta Dianæ
Hortaturque canes; tutæque animalia prædæ,
Aut pronos lepores, aut celsum in cornua cervum,
Aut agitat dammas: a fortibus abstinet apris,
Raptoresque lupos armatosque unguibus ursos
Vitat et armenti saturatos cæde leones.

Quæ cum ita sint, tutius duco codicis N vestigia premere.

II 22, 43—50.

Recentiores editores fere omnes vv. 43 sqq. cum prioribus cohærere negant[1] atque a v. 43 novum carmen incipiunt[2], versus 43 sq., ut opinor, cum LACHMANNO amatoris

[1] LACHMANN, KEIL, L. MÜLLER, BÄHRENS, HAUPT-VAHLEN.

[2] Iidem excepto BÄHRENSIO. LACHMANN cum carmine sequente conectit versus illos.

infelicis esse rati, qui puellæ exprobret, quod pollicita se venturam non venerit. Et ad hanc explicationem sine dubio permoti sunt versu sequente, quem scripsit Lachmann [1] cum Italis

Quid iuvat in nullo ponere verba loco?

et explicavit: 'cur nihili facis verba, id est, promissa tua?' Codices vero habent *et* pro 'in'.

Concedo vv. 43 sq., si ita scribuntur et explicantur, non nimis quadrare ad versus superiores. Neque mihi satis facit Hertzberg, qui, versum 43 non explicans, Lachmanni explicationem versus 44 probans, hos versus signis loquentis inclusos prioribus adiunxit [2].

At vero habet Lachmanni sectatorumque eius ratio duas præcipue difficultates: versus 44 cum corrumpitur tum nimis dure explicatur. Neque enim iniuria Hertzberg ipse Iacobo [3] adsentitur scribenti: "verba in nullo loco ponere plerumque est, nullam verbis auctoritatem tribuere: hic debet esse, nullius auctoritatis vel ponderis verba proloqui". Conferas velim Cic. de Fin. II 28, 90: *idque Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem, cibi condimentum esse famem.*

Ceterum nemo versus 44 sententiam perspexit. At versibus 43 sq. probe intellectis apparebit totum hoc carmen continuum esse.

Vv. 35—46 sic scribe:

Aspice, uti cœlo modo sol modo luna ministret:
Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum,

---

[1] Ei obtemperaverunt Keil, Haupt-Vahlen. L. Müller scripsit 'a!', Bährens 'at'.

[2] Hertzberg retinuit codicum 'et', sed non explicavit.

[3] Doleo mihi non contigisse, ut eius editionem pararem.

Aut si forte irata meo sit facta ministro,
Vt sciat esse aliam, quæ velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula navim,
Tutius et geminos anxia mater alit.
'Aut, si es dura, nega: sin es non dura, venito.'
Quid? Iuvat et nullo ponere verba loco.
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua venire negat.

Totum huius loci nexum sic intellege: 'Malo duas puellas habere quam unam, nam tum semper alteram licet adire et repulsam minus timeo' (35—42)[1]. [Tum verba ipsa ad puellam facta referens pergit:] 'Quare nega te venturam vel veni, æquum est, quoniam alteram habebo (43)[2]. Quin etiam iucundum est, utrocunque modo responderit, id leviter ferre posse (44). Id vero valde acerbum est, si puella, posteaquam promisit se esse venturam, sero demum, cum altera non poterit adesse iuberi, renuntiat (45—46)[3].

II 23, 3—12.

Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Vt promissa suæ verba ferat dominæ,
Et quærit totiens 'quænam nunc porticus illam
Integit?' et 'campo quo movet illa pedes?',

---

[1] Perridicule PALEY erravit versus 41 sq. exponens: "A mother was supposed to have more care for each child, when she had several, than for an only child. The opinion is not confirmed by modern experience". Neque hoc mirum, cum Propertius plane in contrariam dicat sententiam. Cfr simillimum Ovidii locum R. a. 441—464 (463: *Fortius e multis mater desiderat unum*).

[2] Sic recte BARTH, VULPIVM laudans, et PALEY. Sed quomodo huic interpretationi convenit v. 43, ut vulgo legitur?

[3] Cfr Tib. I 8, 63 sq. *Vel cum promittit, subito sed perfida fallit, Est mihi nox multis evigilanda malis.*

Deinde, ubi pertuleris, quos dicit fama, labores
Herculis, ut scribat 'muneris ecquid habes?',
Cernere uti possis vultum custodis amari,
Captus et inmunda sæpe latere casa?
Quam care semel in toto nox vertitur anno!
A pereant, si quos ianua clausa iuvat!

Sic vulgo eduntur hi versus. Et hoc modo, puto, editores eos intellexerunt: 'Num quisquam ingenuus dat — et quærit —, ut deinde, ubi pertuleris labores Herculis, scribat — et possis cernere — et latere?' At vero si omittimus, intricatiorem illam constructionem videri, quam ut ferri queat, ne fieri quidem potest, ut in enuntiationibus secundariis secunda persona verbi ponatur *(possis, pertuleris)*, postquam in primaria *de eodem* tertia adhibita est persona *(ingenuus dat, quærit)*.

Quanto vero simplicius videor mihi sumere *deinde* ad *pertuleris* se applicare, et *ut scribat, ut possis* e *pertuleris* pendere! Tum vero cogitandum est versum 11 esse apodosin versuum superiorum: *ubi pertuleris: quam care vertitur! Vbi* cum coniunctivo potentiali non multum differt a vocabuli *si* notione [1]. Et sane hoc videtur mihi esse versuum 3—12 argumentum: 'si quis eas, quæ describuntur, molestias ob amorem tulerit, care emit noctem'. Et in hanc verborum cohærentiam vv. 3—6 sine dubio redigendi sunt. Atque conicio *quisquam,* pro qua voce familia DV præbet *quanquam,* esse prave scriptum pro *quando.* Id enim vocabulum nota *qū* scribebatur, quam alter librarius potuit *quisquam,* alter *quanquam* secus interpretari. Variationem illam *quando ingenuus dat* et *ubi deinde pertuleris* cum more Propertii consentire quis nescit? [2]

[1] Cfr Dræger, Syntax II 567 sq.
[2] Cfr Hertzberg, vol. I p. 116, Postgate, Introduction pp. 124 sq.

Equidem igitur, quanquam in re difficillima nihil adfirmare audeo, hos versus scripserim:

Ingenuus quando[1] *alterius dat munera servo,*
Vt promissa suæ verba ferat dominæ,
Et quærit totiens 'quænam nunc porticus illam
Integit?' et 'campo quo movet illa pedes?';
Deinde ubi pertuleris quos dicit fama labores
Herculis, ut scribat 'muneris ecquid habes?',
Cernere uti possis vultum custodis amari,
Captus et inmunda sæpe latere casa:
Quam care semel in toto nox vertitur anno!
A pereant, si quos ianua clausa iuvat!

II 23, 23—24.

Libertas quoniam nulli iam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare volet.

Intolerabilis pleonasmus[2] non est unum horum versuum vitium. Nam etiam sententia a tota carminis summa abhorret. Eum unum, qui nuptas amet, Propertius libertate carere censet, qui meretrices amet, non item. Quare viles ipsi placent. — Itaque haud scio an hunc locum emendare possimus scribendo *amandi* pro *amanti.* Tum e versu superiore *(furta pudica tori*[3]*)* ad *nulli* audiendum est 'nuptæ' et ad *amare* 'nuptam'. Quia nuptis iam i. e. post nuptias[4] libertas amandi non restat[5] (cfr v. 13 *quæ li-*

[1] Ad elisionem, quæ dicitur, cfr II 24, 15. III 6, 39.

[2] Quam ob rem W. Fischer (de loc. quibusd. Prop. p. 31) et Plessis (Etudes crit. sur Prop. p. 135) pentametrum interpolatum iudicant. Paley, ut pleonasmus abesset, sensum versus minoris absurde pervertit: 'none must love who whish to be free'.

[3] Cfr II 6, 29 *lectus* (= coniunx) *Vlixis.*

[4] Si codicum scriptura retinetur, *iam* illud abundat.

[5] Cfr Ov. A. a. III 613:

Nupta virum timeat. Rata sit custodia nuptæ.

bera vadit), ne is quidem, qui matronam amat, liber est. Omnia enim illa incommoda perferre cogitur, quæ vv. 3—10 et 17—20 Propertius festive exponit.

Durior eius modi vocabulorum detractio est Propertii propria. Vide HERTZBERG., vol. I pp. 123 sq. et supra p. 12. Cfr etiam carminis sequentis prima verba: *tu loqueris* sc. talia vel de hac re. Et obiecta quidem videtur Propertius in primis omisisse. Cfr etiam huius carminis v. 16.

II 24, 1—10.

Tu loqueris, cum sis iam noto fabula libro
Et tua sit toto Cynthia lecta foro?
Cui non his verbis aspergat tempora sudor?
Aut pudor ingenuus aut reticendus amor.
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
Non ego nequitiæ dicerer esse caput,
Nec sic per totam infamis traducerer urbem,
Vreret et quamvis nomine verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quærere viles:
Parcius infamant: num tibi causa levis?

Hi versus misere vexarunt interpretes, nec defuerunt, qui ad interpolationis rationem confugerent[1]. Qui autem Propertium eos scripsisse putarunt, in versu quarto, haud dubie corrupto, emendando et explicando frustra, si quid video, sudarunt. Sed meas sententias exponam, opiniones illorum strictim commemorans.

Primum est perspicuum verbis *reticendus amor* respici ea quæ antecedunt *loqueris* et *his verbis,* atque hoc nexu et defenditur lectio[2] et illustratur sententia. Reticen-

[1] LACHMANN v. 4, HEIMREICH et PLESSIS (Etudes crit. p. 136 sqq.) vv. 1—8 interpolatos censent.

[2] 'Haut reticendus' HAUPT, id quod pervertit sententiam, 'retinendus' BÄHRENS.

dus erat Propertio amor ille turpis[1], de quo priore carmine *(his verbis)* locutus est. Sed hoc Propertius ipse non dicere poterat; adsignandi igitur sunt non solum vv. 1 sq.[2] sed etiam 3 sq. amico cuidam eum reprehendenti.

Quomodo autem emendanda prior pars versus quarti? Nam *ingenuis* scribere[3] nullo modo locum sanat[4]. Cogitatione inveniamus, quid exspectandum sit. Aut reticendus est amor erga viles, aut — quid? Videlicet: viles quærendæ non sunt. Et hoc amicum monuisse luce clarius ostenditur versu nono, quo concludens poeta amico respondet:

Quare ne tibi sit mirum me quœrere viles.

At quomodo emendantes illam sententiam eliciamus? Vox *ingenua* aptissima est feminis illarum vilium[5] contrariis nec movenda. Cfr Ov. Am. III 4, 33 sq.:

Nec tamen ingenuam ius est servare puellam.
Hic metus externœ corpora gentis agat.

Sed vocem *pudor* perperam scriptam esse arbitror manu librarii aberrante propter memoriam vocabuli *sudor*, quod est in versu maiore. Haud dissimiliter librarius erravit I 8, 43—45 *(summos* propter *summa)*, II 28, 21 *(monstrata* propter *monstris)* III 2, 1—2, IV 7, 19—20. Quare versum hoc modo refingere conatus sum:

---

[1] BRANDT (Quæst. Prop. p. 17) prave intellegit amorem Cynthiæ.

[2] HERTZBERG, PALEY, BÄHRENS.

[3] PALEY.

[4] PALEY enarrat: 'men of good birth must either exspect to be put to the blush, or they must keep secret their love'. Sed unde 'must exspect to be put'? (Ceterum quomodo potuerit hanc sententiam Propertio ipsi tribuere, non intellego.) Neque probabilius OTTO (Berl. Phil. Wochenschr. 1884 N:o 13 sp. 385) ad *pudor ingenuis* audit: 'est, ut turpiter non ament'. Atque tum saltem pro *reticendus* scribendum esset *reticetur.*

[5] Cfr 23, 21 sq. *Et quas Euphrates et quas mihi misit Orontes Me iuerint.*

Aut quære ingenuas, aut reticendus amor.

Cogitare etiam possis:

Aut fruere ingenuis, aut reticendus amor.

Initium *qu* (vel *fru*), quod a *pu* vix distat, ad vocem *pudor* animum librarii avertere potuit, cum modo *sudor* scripsisset. *Quærere* eadem vi Propertius scripsit v. 9, quo hunc ipsum versum respicere videtur. Cfr etiam II 21, 17 (ad vocem *frui* cfr II 9, 24 *isto fruare viro,* Ov. Am. II 9, 46 *sæpe fruar domina*). Postquam *pudor* irrepsit, non potuit *ingenuas (ingenuis)* non fieri *ingenuus.*

Totum locum enarraverim[1]:

Amicus: "Tu quidem de vilibus quærendis tacere[2] debes, qui carminibus tuis ab omnibus lectis identidem tam sancte adfirmaveris, te Cynthiam unam amare et amaturum esse[3]. Quis non pro te erubescat propter tantam, quam his tuis verbis prodis, levitatem? Quare aut quære feminas honestiores, qualis est Cynthia, aut saltem cela amorem illum turpem!"

Propertius: At si Cynthia tam facilis esset quam scorta illa, non dicerer esse extremi in amore furoris (libidinis[4]) nec, ut nunc fit, tota urbe infamarer[5] Cynthia amoris de-

[1] Nam editorum non nimis edoceberis sive nugis sive — silentio.

[2] Cfr Ter. Hec. III 1, 37 *Tute loqueris, me vetas* sc. loqui.

[3] Respiciuntur loci quales sunt I 12, 19 sq., 18, 31 sq., 19. — Errat Lachmann explicans: "non credo tibi Cynthiam gravem esse, quam totus populus Tuam legit" (coll. I 8b, 42: *Cynthia rara mea est*).

[4] Hanc vim habet *nequitia* etiam I 6, 26 *me sine — hanc animam extremæ reddere nequitiæ* et III 19, 10 *rabidæ stimulos frangere nequitiæ* (cfr v. 1 *libido*).

[5] *Infamis* et *infamare* usurpantur de vita aperte libidinosa. Cfr II 16, 39 *infamis amor* (Antonii), III 11, 28 *Iuppiter infamat seque suamque domum.*

licta divulgante[1], et quamvis illa me ureret amore[2], tamen, quod ad verum eius nomen attinet, omnes fallerem (nam si Cynthia facilis esset, aliis amor noster non argueretur, unde scire possent, quamnam amarem)[3]. Quare noli mirari, amice, me quærere viles. Etenim hæ me minus infamant, quia commercium, quod cum iis habeo, non divulgatur neque hominum oculos in se convertit. Num hæc causa tibi levis videtur?[4]

II 25, 21—34.

Tu quoque, qui pleno fastus adsumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.
An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Cum sæpe in portu fracta carina natet,
Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundi.
Si qua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,

---

[1] Cfr I 5, 25 sq. *quod si parva tuæ dederis vestigia culpæ, Quam cito de tanto nomine rumor eris* (vide supra pp. 4 sq.), I 4, 21 sq. *te circum omnes alias irata puellas Differet.* Cfr etiam II 23, 17 *differet hæc numquam.* Præterea est omnino cogitandum de amoris eius vicibus et iurgiis inter homines divulgatis. — PLESSIS (l. l.) notat "la contradiction flagrante" inter v. 7 et 10, quod ad *infamis* audiatur: 'ob meretrices frequentandas'. At potius audi 'per Cynthiam' vel 'propter Cynthiæ garrulitatem'.

[2] Cfr II 3, 44 *uret et Eoos, uret et Hesperios.*

[3] Versum 8, sicut esse difficillimum concedo (PLESSIS l. l. p. 137), ita hoc modo explicatum bonam præbere sententiam existimo. — Id omnino poeta vv. 5—10 dolet, quod Cynthiæ duritate et garrulitate fabula per urbem factus esset.

[4] Nihil amplius desideratur, et carmen hic finitum esse potest. Tamen quodam modo ad eandem materiem spectant vv. 11—16. Nam ut versibus 5—10 explanat poeta id quod 23, 17 scripserat: *differet hæc numquam,* ita his versibus illustrat id quod sequitur: *nec poscet garrula.*

In tacito cohibe gaudia clausa sinu:
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamvis te persæpe vocet, semel ire memento:
Invidiam quod habet, non solet esse diu.

Totum hunc locum exscripsi, ut series sententiarum clarius eluceat legentibus. Poeta monet rivalem suum, ne nimis confidat Cynthiæ fidei et constantiæ. Nam amorem verti posse, quod Propertio ipsi accidisset. Proinde aliis fortunam ne iactaret: gloriationem nocere. Tum sequitur versus tertius et tricesimus:

Quamvis te persæpe vocet, semel ire memento,

cuius de altera parte valde ambigitur inter viros doctos. Sed antequam commenta eorum perscruter, animadvertas velim, quam simili ratione vv. 29—32 et 33—34 sint compositi. Tres utriusque sententiæ partes sunt. Una magnitudo amoris puellæ commemoratur, altera admonitio Propertii continetur, extrema causa monitionis adfertur res usu communi probata. Quare ut vera versus 33 extremi sententia inveniatur, potest prope adhiberi æquatio, quam dicunt mathematici: 1) quamvis te diligat, 2) cohibe gaudia: 3) nam magniloquentia solet nocere = 1) quamvis te persæpe vocet, 2) ?: 3) nam id quod habet invidiam, non solet esse diu. Versum 34 iam Passeratius recte exposuit: 'quod invidia laborat, cito interit'. Cfr Cic. de Or. II 70, 283: *cum Scaurus non nullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeii, locupletis hominis, bona sine testamento possederat,* Nep. Thrasyb. 4, 1 *Quam* (coronam) *quod amor civium et non vis expresserat, nullam habuit invidiam,* Sen. Ep. CXV *tu ullos esse conditionis peioris existimas, quam qui habent et miseriam et invidiam* (sc. avari)?

Quid vero id est, cui invident homines? Hoc loco nimirum gratia feminæ pulcherrimæ.

Iam redeamus ad v. 33. Primus LACHMANN in lectione codicum offendens scripsit 'timeto'[1] pro *memento*. "Ineptum", inquit, "hoc est immo putidum, quod, quamvis sæpe a puella vocetur, semel tantum, neque amplius, ire iubetur. Immo, si fieri possit, prorsus ne eat caveat." Pulchre profecto monitum! Præclare scilicet ille amore puellæ fruatur, si nunquam ad eam veniat!

Aliquanto melior videtur eorum ratio, qui codicum scripturam retinent[2] et *semel* intellegunt 'non nisi semel vel iterum'[3]. Ceterum dupliciter versum enarrarunt. KVINOEL PALEIO probante hoc fere modo reddit sententiam: parce utere benignitate dominæ, ne in invidiam hominum venias! Et hoc non prorsus absonum, si modo *invidiam quod habet* esset 'si quid invidiæ fuerit' ac non potius 'quod invidiæ iam est'. HERTZBERG vero versum eo sensu accipit, Propertium monere, ut lentus poscenti amator sit, ne puella propter copiam satietate capiatur, et adfert II 14, 19 sq.; 33, 43 *(semper in absentes felicior œstus amantes)*[4]. At laborat hæc conversio non solum eadem difficultate atque illa (*invidiam quod habet* explicandum ei est 'si quid invidiæ fuerit'), sed insuper voci *invidiæ* vis *tædii* tribuatur necesse est.

---

[1] BÄHRENS scripsit 'negato', haud ita dissimili sententia.

[2] Quod VAHLEN potuit scribere (Beitr. zur Berichtig. der Eleg. des Prop. pp. 354 sq.): "dass dies *(semel ire memento)* nicht stehen könne, hat LACHMANN gezeigt", prorsus mirum est.

[3] Velut III 21, 7: *vix tamen aut semel admittit, cum sæpe negavit.*

[4] OTTO (Berl. Phil. Wochenschr. 1884 N:o 13 col. 385) HERTZBERGII interpretationem probat versum illum III 21, 7 laudans: "eine Stelle, welche die Richtigkeit der Überlieferung evident macht". Sed sententiam HERTZBERGII hoc loco confirmari non intellego.

Viam corrigendi rursus ingressus est VAHLEN[1], qui ingeniose certe scripsit 'sepelire memento'[2]. Sed ad illam versus 34 interpretationem minus bonam accedit, ut *sepelire* prorsus idem sit ac *tacito sinu cohibere* (v. 30), id quod nullo modo placet.

Nobis autem versum 34 recte intellegentibus quid exspectandum est Propertium amatori propter inconstantiam et brevitatem amoris puellarum suadere? An forte cum LACHMANNO, ut prorsus ne eat caveat? Immo ut eat, quamvis sæpe puella eum vocet. Etenim poeta amatorem a superbia revocans duo monet: 1) ne ardori puellæ confidens de fortuna coram aliis glorietur, 2) ne assiduitatem puellæ fastidiens roganti lentus atque difficilis sit; cfr v. 21 *fastus adsumis* (contra Propertius ipse *ultro rogat contemptus,* 19 sq.).

Videsne, quam omnino contraria vel pæne contraria sententia requiratur ei, quam intruserunt commentatores a KVINOELO et LACHMANNO ad VAHLENVM?

Atque hæc sententia egregie consentit cum librorum lectione: *ire memento.* Vocula autem illa *semel* tot totiens turbas movit. Tamen bene se habet, dummodo *semel* cum *memento* coniungatur sensu illo non ita insolito 'in perpetuum', germ. 'ein für allemal'. *Semel ire memento* i. e. 'in perpetuum in animo inscriptum habeto[3] ire'. Ad hanc notionem vocabuli *semel* cfr Cic. ad Att. XIV 13, 6: *etenim ille* (Antonius), *quoniam semel induxit animum sibi licere quod vellet, fecisset nihilo minus me*

---

[1] l. l. p. 355.

[2] Non multum ad sententiam distat, quod iam IACOB coniecerat: 'simulare memento'.

[3] Sic fere etiam II 13, 39. Cfr etiam SANDSTRÖM, Em. in Prop., Luc., Val. Flacc. p. 8.

invito, Ov. Ep. V 104: *deperit illa* (pudicitia) *semel,* Fa. IV 602 *stat semel.*

Verum tamen cogitavi, num pro *semel* legendum esset *celer,* quod sententiam fortiorem redderet:

Quamvis te persæpe vocet, celer ire memento.

Si *celer* errore scriptum est *cerel* [1], corruptionis via satis patet.

II 29, 39—42.

Dixit, et opposita propellens savia dextra
Prosilit in laxa nixa pedem solea
Sic ego tam sancti custode reludor amoris:
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

Sic corrupte N (*custos recludor* DV, *custodis rector* F). De coniecturis pæne innumerabilibus, quæ ad hunc locum prolatæ sunt, vide apparatum criticum Bährensii et Solbiskyi de cod. Prop. pp. 151 sq. Ille scripsit *cultor secludor* (*cultu secludor* Lachmann), hic vero cum L. Müllero probavit Heinsii *custodi excludor,* quod intellexit: excludor Cynthiæ (i. e. a Cynthia), quæ nullo alio amatore admisso fidem præstiterit. Et similiter locum accepit Hoerle [2], qui codicis Groningani lectione *custode recludor* admissa [3] vocem *custode* credidit esse ablativum instrumenti, qui vocatur.

At cum Propertius haud dubie videatur sibi iniuria exclusus esse (cfr versum illum III 16, 9: *peccaram semel, et totum sum pulsus in annum*), debebat suam, non Cyn-

---

[1] Ita scripserunt *porcus* pro *corpus, misul* pro *simul* cet.; vide Vahleni ind. lect. æst. 1881 p. 4.

[2] De casuum usu Prop. p. 52.

[3] Hoc scriptum est in ed. Haupt-Vahl. cruce addita.

thiæ, fidem ostentare. Neque vero Propertius *custos*[1] amoris Cynthiæ dici potest, ut iam LACHMANN observavit[2]. Vox *cultor* mihi videtur recte a BÄHRENSIO accita[3], nam apud poetas haud raro dicitur: puellam vel amorem puellæ colere[4]. Cfr Ter. Heaut. 389:

Quippe forma inpulsi nostra nos amatores colunt,

Tib II 4, 52:

Illius est nobis lege colendus amor,

Tib. IV 2, 1:

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, kalendis,

huius poetæ II 22, 22:

haud umquam culta labore Venus.

Cfr etiam Mart. IX 84, 3 sq.:

Hæc ego Pieria ludebam tutus in umbra,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ.

Cultor etiam quadrat ad vocem *sancti,* nam *sancte colere* est sollemnis locutio, cfr II 26^b, 26:

Carmina tam sancte nulla puella colit.

Tam sancti cultor amoris est fere idem atque 'qui tam sancte semper coluerim tuum amorem'[5].

Verum non probo coniecturam illam PASSERATII et LACHMANNI *secludor,* quam BÄHRENS in ordinem recepit.

A codicis N scriptura, ut fere vulgo[6], sic hoc quoque

[1] *Custos excludor* (iam PASSERATIVS *custos secludor*) est BROUKHUSII coniectura, quam admiserunt HERTZBERG, PALEY, alii.

[2] In ed. (1816) ad hunc locum.

[3] HEINSIUS etiam coniecerat 'custodis cultor'.

[4] Eodem fere redit LACHMANNI 'cultu secludor'.

[5] De sancto Propertii amore cfr I 11, 24 sq., 12, 19 sq., 19, 5 sqq., II 1, 55 sq., 6, 41 sq., 9, 41 sqq., 25, 37, III 15, 9 sq., 24, 23.

[6] Cfr HOUSMAN, the manuscr. of Prop., Journal of Phil. Vol. XXI, N:o 41, pp. 110—135.

loco proficiscendum videtur ad veram lectionem eruendam. Ac ne multus sim, iam proferam emendationem, quam videor mihi indagasse:

Sic ego tam sancti cultor deludor amoris.

Si ultima vocis *cultor* et prima verbi *deludor* litteræ errore sedem mutaverant: *cultodreludor,* via non fuit longa ad libri N *cuſtodereludor.* Ceterorum codicum scripturæ per interpolationem iam amplius progressæ sunt a vero. *Rector* videtur e *recl[ud]or* corruptum oculis librarii a *cl* ad *d* aberrantibus[1].

Verbo *deludor* Propertius utitur etiam II 15, 31:

Terra prius falso partu deludet arantes.

Atque ut ibi qui terram colunt fructu carentes *deludi* dicuntur, ita hic Propertius, qui amorem Cynthiæ tam sancte coluit, se *deludi* ait, quia fructu amoris (cfr III 20, 30: *semper amet, fructu semper amoris egens*) caret: prosilit enim Cynthia savia poetæ propellens, posteaque ei per longum tempus aditum negat. Cfr etiam Ov. Am. II 19, 33:

Si qua volet regnare diu, deludat amantem.

II 32, 21—24.

Sed de me minus est: famæ iactura pudicæ
Tanta tibi miseræ, quanta meretur, erit.
Nuper enim de te nostra(s) me ledit ad aures
Rumor et in tota non bonus urbe fuit.

Versum 23 esse corruptum iam omnes[2] consentire videntur. Cruce notatus est in edd. L. Mülleri et Hauptii-

[1] Italorum *reiector* est coniectura pro *rector,* neque, ut credit Solbisky (l. l.), *rector* e *reiector* corruptum.

[2] Recentiorum solus Hertzberg defendit phrasin: *rumor de te nuper* (sc. relatus) *ad aures nostras me lædit.*

Vahleni. Ceterum viri docti alii alias deinceps coniecturas excogitarunt neque aliis persuaserunt. Atque coniecturæ debetur etiam quod in libro Groningano scriptum legimus, *nostras pervenit ad aures,* ex Ovidio, nisi fallor, sumptum. Nam locutio *ad aures pervenire* decem locis Ovidianis[1] invenitur, atque hæc quidem iunctura verborum *nostras (vestras) pervenit ad aures* tribus locis, Met. V 256, ex P. II 5, 33, Fa. III 661. Inveniendum est igitur verbum, unde lectio codicum facile oriri potuerit et quod usui poetarum conveniat. A quo abhorret Bährensii coniectura *nostram devenit ad aurem,* nam *venire ad aures* Latinum est (cfr Plaut. Rud. I 4, 12, Verg. Aen. II 119, Ov. Ep. XI 71 sq., Met. XIV 749 sq., Stat. Theb. XI 745), *devenire* non item. Et dicitur quidem *ire ad aures* (cfr Ov. Met. XII 426 sq., Stat. Theb. 670 sq.), sed tamen Rossbergii[2] inventum *malus ivit ad aures* ideo non placet, quia vox *malus* otiosissima est. Præcipit enim inepte verba quæ sequuntur *non bonus.* Neque ultima versus pars *ad aures* corrupta facile esse potest. Quocirca coniectura, qualis Ottonis[3] *nostras impleverat aures,* reicienda est. Equidem dubitanter propono coniecturam:

Nuper enim de te nostras accdit ad aures
Rumor et in tota non bonus urbe fuit.

De vocabulo conferendi hi loci sunt: Ter. Hec. 482 *haud invito ad aures sermo mi accessit tuus,* Stat. Theb. V 732 *placidasque accessit ad aures* (cfr XII 363 sq. *virginis aures Accessit sonus*).

Et verba *nostrasaccedit* non modo totidem sed etiam prope iisdem calami lineis atque *nostrameledit* a librariis scribebantur, id quod nemo huius rei peritus ignorat.

---

[1] Etiam Verg. Ae. II 81, IX 395, Stat. Ach. II 54.
[2] Lucubrat. Prop. p. 21.
[3] Berl. Phil. Wochenschr. 1884 N:o 13.

At vero formam *accessit* potius exspectaveris scriptam. Sed Propertius præsens historicum quod dicitur perquam libere ponit[1], velut IV 1, 77 *me creat,* atque etiam cum adverbio *quondam* coniunctum II 7, 2: *qua quondam edicta flemus uterque diu.* Et apud alios scriptores adverbia *olim* et *modo* similiter usurpata invenio, cfr Plin. Ep. I 11, 1 *olim mihi epistolas mittis,* Iuv. IV 96 sq. *olim Prodigio par est in nobilitate senectus,* VI 346 *audio, quid veteres olim moneatis amici,* Ter. Hec. 458 *advenis modo? Admodum.*

Ad variationem temporum cfr II 15, 3 sq.:

Quam multa adposita narramus verba lucerna,
Quantaque sublato lumine rixa fuit!

III 5, 1—6.

Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes:
Sat mihi cum domina proelia dura mea,
Nec tantum inviso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibat e gemma divite nostra sitis,
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aretur,
Nec miser æra paro clade, Corinthe, tua.

Sic hos versus scripsit Lachmann et sic adhuc scripti sunt in ed. Hauptii-Vahleni[2]. At codices habent *stant, tamen, bibit, aratur.*

Lachmann verbum *stant* stare non posse credidit, propterea quod sic versus secundus cum superiore pugnare videbatur. Verum si cum Hertzbergio in vocibus *cum domina mea* orationis vim positam esse statuemus, nihil desiderabitur: 'pacem veneror : nisi cum domina mea proelia non committo'. Ac prorsus similiter I 6, 29 sq.:

[1] Cfr Hertzberg, vol. I p. 120, Postgate, Introd. p. 110.
[2] Bährens quoque edidit *sat* et *tantum.*

Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata subire volunt,

i. e. non nisi hanc militiam. *Stant proelia cum domina* fere idem valet atque *committuntur proelia,* quod LACHMANN ipse ostendit in editione. Cfr III 3, 44[1]. Versus quoque qui sequitur videtur LACHMANNO non bene coniungi, hanc fieri cohærentiam contendenti: "Quamquam dura mihi mea puella sit, quamquam pacem venerer, tamen avarus non sum". Quare reponit *nec tantum.* Sed credo equidem non ita absurdam esse seriem sententiarum. *Tamen* videtur notionem vocabuli 'saltem' habere, ut intellegatur: 'neque saltem sum avarus'. Cfr II 5, 5 sq.:

Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
Quæ fieri nostro carmine nota velit,

i. e. unam saltem.

Est igitur nexus versuum 1—3 hic: 'Neque bella mihi placent (nisi quæ mihi cum domina sunt) neque certe sum avarus'.

Gravior vero videtur reprehensio, quam LACHMANN fecit de versibus 4 et 5 male cum 3 et 6 convenientibus. In versibus 3 et 6 avarum se pernegat poeta, in 4 sq. pauperem se profitetur. Quid hoc ad rem? quærit vir doctus. Verum tamen locus textus vituperandi vix relinquetur, si post versum tertium maiorem interpunctionem posuerimus, ut paupertas e vacuitate avaritiæ quasi consequi dicatur. Itaque codicum lectionibus servatis hos versus scribo:

Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes:
Stant mihi cum domina proelia dura mea.
Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro:
Nec bibit e gemma divite nostra sitis,

[1] HERTZBERG male accepit: non dirimuntur proelia.

Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur,
Nec miser æra paro clade, Corinthe, tua.

Vocabulum *miser* (v. 6) dubitationem quandam movit, quia quodam modo insolenter hic positum est visum[1]. Duæ explicationes cogitari possunt. Vna est: 'nec, ut sum miser i. e. pauper, æra paro', cfr Ter. Eunuch. 486 sq. *adparet servom hunc esse domini pauperis Miserique,* Sen. Herc. Oet. 412 *qui* (Hercules) *regna miseris donat et celsis rapit.* Hæc conversio idcirco non placet, quod divitias nihili facit poeta; cfr vv. 17 sq. huius carminis. Altera vero enarratio hæc est: nec tam miserandus sum (propter avaritiam vel divitias), ut æra parem. Eius modi sententia ut fortasse non videtur vere Propertiana, ita poetis et philosophis antiquis in deliciis erat. Adscribam aliquot locos, ubi avari vel divites miseri dicuntur. Lucret. III 59 sqq.:

Denique avarities et honorum cæca cupido,
Quæ miseros homines cogunt transcendere fines
Iuris,

Hor. Ep. I 1, 33:

Fervet avaritia miseroque cupidine pectus,

Sat. I 4, 25 sq., 28:

Quemvis media elige turba,
Aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat.
Hunc capit argenti splendor; stupet Albius ære.

Sen. de Benef. VII 10 *o miserum, si quem delectat sui patrimonii liber magnus et vasta spatia terrarum colenda per vinctos,* Epist., CXV 16 *nulla avaritia sine poena est, quamvis satis sit ipsa poenarum. O quantum lacrima-*

[1] Bährens in textu habet Ruhnkenii 'mixta æra'.

rum, o quantum laborum exigit! quam misera desideratis, quam misera partis est! — — — Tu ullos esse conditionis peioris existimas, quam qui habent et miseriam et invidiam?

Atque Propertius ipse hac voce utitur de Pæto, qui ut miser non vocetur propter pecuniæ cupidatem, certe per pecuniæ cupidatem miser factus esse dicitur (III 7, 5 sqq.):

Tu[1] *Pœtum ad Pharios tendentem lintea portus*
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit œvo.

Cfr etiam versus superiores, quibus poeta pecuniam detestatur:

Ergo sollicitœ tu causa, pecunia, vitœ es!
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula prœbes;
Semina curarum de capite orta tuo.

III 8, 25—26.

Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.

Hos versus VAHLEN rectissime, si quid video, post versus 11 sq. revocavit[2]:

Quœ mulier rabida iactat convicia lingua
Et Veneris magnœ volvitur ante pedes.

Poeta disticho illo (25 sq.) exponit, qua causa mulier suspiciosa ita sæviat, ut vv. 11 sq. dicitur.

At tamen versus sextus et vicesimus, quem ad modum est scriptus, non facile potest esse sanus. Nam nisi hoc

[1] Pecunia.
[2] Beiträge zur Ber. der El. des Prop. pp. 360 sqq.

modo explicari non posse videtur: 'aut cum digitis signa das tuas epistulas (vel tua carmina) esse celandas'. Hoc ut per se absurdum non est, ita cur in hunc nexum epistula inferatur non patet[1], neque, quod est maximum, hæc sententia convenit ad locos illos Tibulli et Ovidii haud paucos, quibus de re simillima mentio fit. Etenim infra congeram locos permultos, ubi qui furtim amant aliis (velut viro vel rivali) præsentibus signis occultis inter se blande colloqui dicuntur. Atque his convenienter hoc quoque loco exspectanda est sententia: 'si alii puellæ oculis vel digitis signa amoris furtiva das'. Duo sunt loci Tibulli. Vnus est I 2, 21 sq.:

Illa[2] *viro coram nutus conferre loquaces*
Blandaque conpositis abdere verba notis,

quem Ovidius expressit Am. III 2, 23 sq.:

Quid[3] *iuvenum tacitos inter convivia nutus*
Verbaque conpositis dissimulata notis?

Alter autem est I 6, 19 sq.:

Neu[4] *te decipiat nutu, digitoque liquorem*
Ne trahat et mensæ ducat in orbe notas,

quem Ovidius minus accurate adtulit Trist. II 453 sq.:

Vtque refert[5] *digitis sæpe est nutuque locutus*
Et tacitam mensæ duxit in orbe notam

et imitatus est Ep. XVI (XVII) 87 sq.:

---

[1] Dicat quispiam hoc nihil ostendere nisi hos versus recto loco positos non esse. Sed etiamsi in loco, ubi in codice scripti sunt, serventur, idem scrupulus manet, neque HERTZBERGIO contigit, ut duabus paginis, quas in hac re consumpsit, de epistula illa quidquam veri simile proferret.

[2] sc. docet.

[3] sc. referam.

[4] sc. caveto (neu) puella (te decipiat).

[5] Tibullus.

Orbe quoque in mensæ legi sub nomine nostro,
Quod deducta mero littera fecit, AMO.

Atque in versibus, qui proxime antecedunt, 81 sq., hunc Propertii locum reddidit Ovidius:

A! quotiens digitis, quotiens ego tecta notavi
Signa supercilio pæne loquente dari.

Ceteri loci Ovidiani, qui plurimi Tibullum et Propertium quasi redolere videntur, sunt hi:

Am. II 5, 15 sqq.:

Multa supercilio vidi vibrante loquentes:
Nutibus in vestris pars bona vocis erat.
Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino
Mensa, nec in digitis littera nulla fuit.

Am. I 4, 17 sqq.:

Me specta nutusque meôs vultumque loquacem:
Excipe furtivas et refer ipsa notas.
Verba superciliis sine voce loquentia dicam:
Verba legês digitis, verba notata mero.

A. a. I 569 sqq.:

Hic tibi multa licet sermone latentia tecto
Dicere, quæ dici sentiat illa sibi,
Blanditiasque leves tenui perscribere vino,
Vt dominam in mensa se legat illa tuam,
Atque oculos oculis spectare fatentibus ignem:
Sæpe tacens vocem verbaque vultus habet.

A. a. I 500:

Multa superciliis, multa loquare notis.

Ep. XV (XVI) 256:

Et modo per nutum signa tegenda dabam.

Met. IV 63:

Nutu signisque loquuntur[1].

A. a. II 595 sq.:

Nec vos
Excipite arcana verba notata manu.

A. a. I 137 sq.:

Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris,
Nec tibi per nutus accipienda nota est.

Cfr etiam Am. II 7, 5 sq.:

Candida seu tacito vidit me femina vultu,
In vultu tacitas arguis esse notas.

His locis collatis vix dubium esse potest, quin in illo versu Propertiano vocula *tua* corrupta sit, præsertim cum veri simile videatur, quamvis Ovidius Tibulli et Propertii verba imitatus sit[2], hoc ipsum argumentum poetas Romanos ex Alexandrinorum carminibus sumpsisse[3]. Sed ne *cum* quidem illud placet. Nam *cum* et *digitis* coniungi non possunt, quoniam hoc a consuetudine Latina abhorret[4]. Neque coniunctio, quæ vocatur, hoc loco posita apta est.

Quare, si licet divinare, scripserim, Ovidium ex parte secutus:

Tecta superciliis si quando verba remittis
Aut tacite digitis scripta silenda notas.

---

[1] Pyramus et Thisbe.

[2] Cfr Zingerle, Ovid. u. sein Verh. zu den Vorg. P. I pp. 130 sqq.

[3] Cfr Mallet, Quæst. Prop. pp. 53 sqq.

[4] Adde ad locos supra allatos Lucr. V 1030, Ov. Fa. V 433, ex P. IV 2, 24, Sen. Tro. 1052. Locus ille Catullianus (98, 3 sq.) *ista cum lingua possis culos lingere* nihil probat, nam *ista cum lingua* est fere: 'qui istam linguam habeas'.

Quæ ita explices: 'Si quando amator mulieris illius superciliis verba arcana (alii puellæ mittit et) remittit[1] vel digitis (in mensa) tacite perscribit litteras tegendas.'

Notare est *scribere,* velut Ovidius dixit *notare verba* (Ep. XVI (XVII) 80, A. a. II 596, Am. I 4, 20), *litteras* (Ep. III 2). Et *scripta* hoc loco sunt *litterarum notæ.* Quæ significatio paulo est inusitatior, sed suppetunt duo exempla, Ov. Ep. XI 1 *si qua tamen cæcis errabunt scripta lituris* et Cic. pro Cæcin. 23, 165 *scriptum sequi calumniatoris esse,* ubi pro *scripto* ante dixerat *verba et litteras.* Ceterum fortasse in Græco exemplari γράμματα erat scriptum, quod poeta ad verbum expressit.

Tacite iuxta *silenda* positum non abundat; nam hoc verbo significatur tacita illa signa prodere non licere puellæ. Cfr etiam Ovidii illa verba: *tibi multa licet sermone latentia tecto Dicere.*

Litteræ *tacite* et *tuac̄* scriptæ vix distabant, ut corruptio facile explicari posse videatur.

III 9, 7–20.

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur ulla iugo.
Gloria Lysippo est animosa effingere signa,
Exactis Calamis se mihi iactat equis,
In Veneris tabula summam sibi poscit Apelles,
Parrhasius parva vindicat arte locum,
Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ,
At Myos exiguum flectit acanthus iter,
Phidiacus signo se Iuppiter ornat eburno,

[1] Cfr Ovidii versum iam exscriptum: *excipe furtivas et refer ipsa notas.*

Praxitelen propria vindicat urbe lapis.
Est quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ,
Est quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.
Naturæ sequitur semina quisque suæ.

Poeta varia hominum studia illustrans enumerat statuarios (9—10), pictores (11—12), cælatores (13—14), sculptores (15—16), agonistas (17—18), viros civiles, militares (19).

In quo offendit, et quod artis fingendi peritis tantum spatii (vv. 9—10, 15—16) concessum est, et quod illa disticha separatum habent locum. Neque versus 15 sq. per se, si diligentius reputantur, satis faciunt. Nam prior ille, quem alii abstruse explicarunt [1] alii corruptum putarunt [2], videtur esse conflatus a scriptore, qui tumidis nec satis rectis verbis usus hoc dicere vellet: 'Phidiacus Iuppiter ornate est ex ebore factus'. Iam vero versus minoris rationem observes velim. Eum enim esse meram imitationem versus duodecimi, cuius sententiam vix minus inflate atque rustice [3] in maius extolli videmus, quem possit fugere? Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc distichon a Propertio ipso scriptum non esse putaremus. Nempe librarius paulo doctior, qui in artificibus Græcis nominandis summos illos Phidiam et Praxitelem omissos ægre ferret, eos post ceteros suo Marte intulisse putandus est [4].

---

[1] Vide HERTZBERGIVM.

[2] LACHMANN, BÄHRENS.

[3] *Propria* pro *patria*. Ceterum cfr HERTZBERGIVM ad hunc locum (ille scribere vult: *patria venditat urbe lapis,* BROVKHVSIVS scripsit *paria*).

[4] Hæc sententia iam LACHMANNO aliena non fuisse videtur, nam postquam versum 15 sic corrigere conatus est: Phidiaca ars signo te, Iuppiter, ornat eburno, addit: "si modo totum hoc distichon Propertium ac non alium potius auctorem habet."

III 15, 13—16.

A quotiens pulchros ussit regina capillos
Molliaque inmites fixit in ora manus!
A quotiens famulam pensis oneravit iniquis
Et caput in dura ponere iussit humo!

Passeratius, Broukhusius, Burmannus, ed. Lemaire, Hertzberg (Lachmann et Paley tacent) *ussit* proprio sensu ineptissime acceperunt, quasi crines Antiopæ sæpius (*'quotiens'*) exurere potuerit Dirce, quem ad modum potuit sæpius faciem eius lædere, eam pensis iniquis onerare, in humo iacere iubere. Attulit quidem Broukhusius duos locos Tibullianos

I 10, 37 sq.:

Illic percussisque genis ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus

et I 9, 21 sq.:

Vre meum potius flamma caput et pete ferro
Corpus et intorto verbere terga seca.

Sed hic locus præbet rhetoricam quandam exaggerationem neque quicquam probare potest, ille vero videtur in aliam sententiam accipiendus esse. Nam fere innumerabilibus locis laniatæ faciei et scissæ comæ mentio conectitur. Non nulla adscribam:

Prop. III 8, 5 sq.:

Tu vero nostros audax invade capillos
Et mea formosis unguibus ora nota.

Tib. I 1, 67 sq.:

parce solutis
Crinibus, et teneris, Delia, parce genis.

Ov. A. a. II 451 sq.:

Ille ego sim, cuius laniet furiosa capillos,
Ille ego sim, teneras cui petat ungue genas.

Ep. XIX (XX) 81 sq.:

Ipsa meos scindas licet imperiosa capillos,
Oraque sint digitis livida nostra tuis.

Quam ob rem credo etiam hoc Propertii loco verbum *urendi* ad vellicationem spectare [1] et vertendum esse 'cruciare' sensu comæ ipsi tributo. Hanc fere significationem habet hoc verbum etiam IV 3, 23:

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos.

Et Ovidius coniungit verba *urendi* et *lædendi* A. a. 235 sq.:

Aspicis, ut prensos urant iuga prima iuvencos,
Et nova velocem cingula lædat equum.

Idem sensum crinibus puellæ addicit Am. I 14, 23 sq., cum loquitur de iis artificiose urendis:

Cum graciles essent tamen et lanuginis instar,
Heu, mala vexatæ quanta tulere comæ!
Quam se præbuerant ferro patienter et igni,
Vt fieret torto nexilis orbe sinus!
Clamabam: 'scelus est istos, scelus urere crines!'

Atque illa ipsa quam supra statui notione *(cum dolore vellicandi)* credo Tibullum [2] in illo loco iam exscripto (I 10, 37) iuxta *percussis genis* posuisse *usto capillo.*

---

[1] Heinsius coniecit 'vulsit', quod Kvinoel et nuper Bährens acceperunt; non necessario. Ceterum 'ursit' facilior est coniectura. — Ad hanc poenam cfr Ov. Ep. III 79 *(neve meos coram scindi patiare capillos).*

[2] Phrasin *urere capillos* etiam alia sententia apud Tibullum usur-

Miseratio fortius exprimitur, si tali ratione coma ipsa excruciari dicitur, et poetam hoc carmine Cynthiam ad misericordiam Lycinnæ flectere vehementer cupivisse atque ipsum in scribendo ad summam Antiopæ commiserationem adductum esse totum carmen ostendit. Cfr in primis vv. 19 sqq.

III 17, 9—16.

Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt aut tua vina malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
Spesque timorque animum versat utroque modo.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Accersitus erit somnus in ossa mea,
Ipse seram vites pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullæ me vigilante feræ.

Versu duodecimo pro codicum *utroque modo* vulgo scribunt *utrimque meum* cum libro Groningano. Sed hanc meram esse coniecturam neque eam bonam apparet. Equidem lenissima correctione scribendum puto *utroque* (*thoro* i. e.) *toro* cum PALMERO [1]. Nam qui propter animi sollicitudines somnum capere non possunt (cfr v. 14), eos toto lecto corpus per noctem versare notum est. Hæc exempla sufficiant. Cat. 50, 10 sqq.:

---

patam invenimus I 9, 15 *(uretur facies, uretur sole capilli)*, cuius fortasse versus memor VVLPIVS hunc locum explicavit (KVINOEL. II p. 473): "Dirce miseram Antiopen potuit in solario, vel aprica planitie ardentibus solis radiis exponere, ut capilli eius exurerentur." Hæc interpretatio, per se minus apta, stare nequit, propterea quod sic regina ipsa non potuit dici capillos urere.

[1] PALMERI editio, a me diu quæsita, nunc demum, cum hæc plagula prelum iam subitura est, mihi in manum venit.

Nec somnus tegeret quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer cupiens videre lucem,

Iuv. XIII, 217 sq.:

Nocte brevem si forte indulsit cura soporem,
Et toto versata toro iam membra quiescunt,

Propertii ipsius I 14, 21:

(Illa [Venus] *non timet)*
— miserum toto iuvenem versare cubili,

II 22, 47:

Quanta illum toto versant suspiria lecto!

Atque in lectis Romanorum binos fuisse toros docent cum alii loci tum Ov. Am. III 14, 32:

Cur pressus prior est interiorque torus?

et Consol. ad Liv. 327 sq.:

Et subito tentasque manu sperasque receptum,
Quæris et in vacui parte priore tori? [1]

Quare Propertium alio carmine (II 17), ubi se "vacuum amantem" esse queritur, ipsa illa phrasi, quam hoc loco reposui, uti videmus (vv. 3 sq.):

Horum ego sum vates, quotiens desertus amaras
Explevi noctes, fractus utroque toro.

Verum si *toro* recte est a nobis Propertio vindicatum, lectio *animum* sustineri non potest [2], nam corpus (cfr *membra* apud Iuvenalem), non animus in lecto versatur. Neque habent codices optimi *animum,* sed *animo,* præterquam quod

---

[1] Cfr etiam Prop. III 21, 8, IV 8, 89, Ov. Am. I 8, 97, II 4, 34.
[2] Video et miror PALMERVM illud *animum* servare.

in V manu secunda *animum* adscriptum est, sine dubio de coniectura, ut sententia sublevaretur. Sed *animo* nihilo magis sanum esse potest. Credo Propertium *animi* scripsisse, quod in *animo* corruptum est aut propter finem versus *utroque toro (modo)* aut quia relatum est ad *versare* (*animo versare* latine dici librarius noverat). *Animi* autem ad *spesque timorque* positum est, ut sæpius ad eius modi voces apud poetas positum esse videmus. Cfr Lucr. III 157 *animi terror*, IV 905 *animi curas,* VI 1181 *animi in mœrore metuque,* Cat. 2, 10 *animi levare curas,* 102, 2 *nota fides animi,* 64, 372 *animi coniungite amores,* Ov. ex P. I 4, 8 *anxietas animi,* Trist. I 1, 102 *nam spes est animi nostra timore minor.* Et hoc loco *animi* præclare cum pondere quodam additur, quia c o r p u s amantium spesque timorque a n i m i versat utroque toro. Obiectum, quod vocatur, verbi *versat* in versu superiore invenitur *(vacuos amantes).* Ergo versum duodecimum confidenter scribo[1]:

Spesque timorque animi versat utroque toro.

III 21, 5—8.

Omnia sunt temptata mihi, quæcunque fugari
Possit: at ex omni me premit ille deus.
Vix tamen aut semel admittit, cum sæpe negavit,
Seu venit, extremo dormit amica toro.

Omnes commentatores laudarunt et omnes præter Hertzbergivm editores admiserunt Scaligeri coniecturam *amicta.* Hertzberg voce *amica* servata versus septimi subiectum,

[1] Nuper Housman (Journal of Phil. Vol. XXII N:o 43 [1893] p. 119) non male coniecit: *spesque timorque animæ versat utroque modo,* quod vertit: 'hope and fear toss them to and fro like a wind'. Sed de *anxietate,* non de *mobilitate* animi amantis agitur.

quod vocatur, e versu sexto intellegit Amorem; male sane. At tametsi Cynthiam ad verba *admittit* et *negavit* audiri censeo, vox *amica* in versu octavo satis bonam præbere sententiam mihi videtur. Nam significanter in fine additur hæc vox acerbo vel queribundo quodam sensu: 'quanquam amica mea est et vocatur, tamen tam difficilis est'. Itaque hic versus scribi potest:

Seu venit, extremo dormit — amica! — toro.

III 24, 1—18.

Falsa est ista tuæ, mulier, fiducia formæ,
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes:
Versibus insignem te pudet esse meis.
Mixtam te varia laudavi sæpe figura,
Vt, quod non esses, esse putaret amor,
Et color est totiens roseo collatus Eoo,
Cum tibi quæsitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari.
Hæc ego non ferro, non igne coactus et ipsa
Naufragus Aegæa vera fatebar aqua.
Correptus sævo Veneris torrebar aheno,
Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatæ portum tetigere carinæ,
Traiectæ Syrtes, ancora iacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu,
Vulneraque ad sanum nunc coiere mea.

Versus 9—12 tantum non omnes[1] sic ediderunt Pas-

[1] Passeratius, Brovkhvsivs, Bvrmannvs, Barth, Lachmann, Keil, L. Müller, Haupt-Vahlen, alii.

Seratii explicatione versuum 11 sq. probata: 'neque igni neque ferro tortus neque in naufragii periculo constitutus cogi ante poteram ut faterer hæc vera esse, quæ nunc dixi, nempe Cynthiam non esse formosam'. Sed ut omittam, quod ad *et* (v. 11) particula negandi audienda est, quo modo potuit naufragio cogi ad fatendum Cynthiam formosam non esse? Immo vero esse eam formosam, sicut dixit I 17, 16 id ipsum naufragii malum passus:

Quamvis dura, tamen rara puella fuit.

Deinde quam inepte *hæc* (v. 11) explicatur 'Cynthiam non esse formosam', cum *quod* (v. 9) intellegendum videatur 'Cynthiam esse formosam' vel 'amorem meum in Cynthiam'. Quid? quod *non (non ferro, non igne)* de participio *coactus* revulsum verbo *fatebar* obtruditur, quasi Propertius dicere vellet, ferrum et ignem esse in se adhibita?

Ceterum habent codices *verba fatebor,* non *vera fatebar.* Qua lectione retenta Hertzberg et Paley atque nuper Postgate versus 9—12 coniunxerunt, illud *quæ* attractione, quæ vocatur, ad *verba* relatum statuentes:

Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari,
Hæc ego, non ferro, non igne coactus, et ipsa
Naufragus Aegæa verba fatebor aqua.

Hæc Hertzberg sic fere exponit: 'illecebris tuis, quibus neque amici neque veneficarum artes liberare me poterant, abiectis, iam, non coactus ferro aut igne, sed ultro, superiores illas laudes mera verba fuisse fatebor, vel si dii sicut olim (I 17) me naufragio affecturi sint propter Cynthiam a me relictam'. At unde 'superiores illæ laudes'? Ne litterula quidem horum verborum apud Propertium in-

venitur. Rectius certe videntur versus 9 sq. explicasse Paley 'enthralment' et Postgate 'the fatal passion'. Verum enim vero quo modo poterat Propertius dicere amoris sui furorem verba i. e. nihil veri, speciem tantum atque fraudem fuisse, cum toto animo atque mente eo diutissime imbutum esse notissimum esset? Legas, quæso, versum qui sequitur, decimum tertium:

Correptus sævo Veneris torrebar aheno.

Quod poetam scripsisse exspectamus, hoc est: 'amorem illum insanum iam abieci, omisi', ut mox versibus 15—18 dicit: 'portum assecutus sum, sanus sum'. Eiusmodi igitur verbi desideramus formam, quam sub vocibus *hæc ego* latere suspicatus eruere conatus sum: *neclego.* Qui non amplius colit amorem (vide supra p. 28), neglegit eum; cfr v. 29: *limina valeant.* Cfr etiam Hor. Od. III 21, 9 sq. *non ille — — te* (sc. vinum) *necleget horridus.* 'Neclego' erat antiqua scribendi ratio, et N et H simillime scribebantur. Neclegŏ (o correpta) sicut nesciŏ II 25, 32; 29, 3, alibi, cæditŏ IV 5, 77[1]. Cfr findŏ III 9, 35. (Tib. II 6, 41 desinŏ.) Sin autem 'neclego' scriptum est, *fatebor* interpositio sit necesse est et *vera* legatur pro *verba*[2], quæ certe in codicibus frequens est permutatio. Quare versus 9—12 scribo:

Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari,
Neclego, non ferro non igne coactus et ipsa
Naufragus Aegæa (vera fatebor) aqua.

---

[1] Codicum *cædito* servandum est, quia ad legis similitudinem loquitur poeta.

[2] Bährens sic scribens et *hæc ego* servans prædicatum amisit.

Interpretor: 'Amorem insanum, quo nemo adhuc potuit me liberare, ipse iam neglego, non ferro neque igne coactus (i. e. sine remedio extrinsecus petito) et quanquam mari vere Aegæo naufragus fui i. e. quanquam propter maximum amorem in Cynthiam perfidam et sævam ad ultimam desperationem adductus fui, id quod me fateri necesse est'. *Aegæa aqua* dictum est, ut sæpius, pro 'mare periculosum', quia hoc mare insulis ac scopulis est plenum tempestatibusque crebrum. Cfr Hor. Od. II 16, 1 sqq.:

Otium divos rogat in patenti
Prensus Aegæo, simul atra nubes
Condidit lunam neque certa fulgent
Sidera nautis,

III 29, 62 sqq.:

Tunc me biremis præsidio scaphæ
Tutum per Aegæos tumultus
Aura feret geminusque Pollux,

Claudian. XXI 287 sqq.:

velut arbiter alni,
Nubilus Aegæo quam turbine vexat Orion,
Exiguo clavi flexu declinat aquarum
Verbera.

Quis vero nescit poetas translate locutos esse de mari procelloso atque de naufragio, cum pericula atque infortunia dicerent? Velut Horatius claro illo carmine Od. I 13 rei publicæ periculum sub imagine tempestatis depingit, quam in ipso illo mari Aegæo sævientem facit (vv. 19 sq.):

Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas.

Item Ovidius relegatus naufragium se passum esse queritur sæpius, ut ex P. II 2, 128:

timeo naufragus omne fretum.

Et peculiariter qui amantes infidelitatem puellæ cum dolore experti sunt, naufragi vocari possunt, de qua re conferre licet eiusdem Horatii carmen I 5. Poeta Pyrrham allocutus

heu quotiens fidem
Mutatosque deos flebit et aspera
Nigris æquora ventis
Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea,

confitetur se ipsum

uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

Haud dissimiliter Ovidius de periculis amoris loquitur A. a. I 411 sq.:

tunc si quis creditur alto,
Vix tenuit laceræ naufraga membra ratis.

Age vero, cum viri illi docti versum duodecimum de vero naufragio interpretati essent, non videntur animadvertisse eam interpretationem repugnare versibus 15 sq., quibus de hac re translate esse dictum ostenditur:

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ,
Traiectæ Syrtes, ancora iacta mihi est.

Propertius sæpius coniungit similitudines dissimiles et hoc quidem loco amorem suum multis rebus confert: fascinationi[1] (9, 10), vinculis[2] (13: *correptus,* 14), igni[3] (13: *torrebar*), navigationi periculosæ[4] (15—17), vulneri[5] (18). Et in versibus, de quibus hoc loco agitur, duæ illæ extremæ translationes usurpantur: verba *non ferro, non igne coactus* ad vulnera spectant, ad navigationem *ipse naufragus Aegæa aqua.*

IV 6, 83—84.

Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter harenas:
Ire per Euphraten ad tua busta licet.

Aliis locis collatis (II 34, 53 *si post Stygias aliquid restabimus undas,* Cic.' Ep. ad fam. (Sulp.) IV 5, 5 *quod si qui etiam inferis sensus est,* Ov. ex P. I 2, 113 *si superest aliquis post funera sensus,* II 2, 100 *si quid habet sensus umbra diserta,* Consol. ad Liv. 469 *hæc sentit Drusus, si quid modo sentit in umbra,* Sen. Oct. 13 *si quis remanet sensus in umbris*) apparet *nigras inter harenas* idem esse atque post mortem. At cum editores hæc verba ad regiones eas, ubi occisus est Crassus, spectare putarent[6], videtur eos fugisse, manes Crassi ibi reman-

---

[1] Cfr I 5, 6.

[2] Cfr I 5, 11 sq., Ov. Rem. 294, 529 sq.

[3] Cfr I 5, 5, Ov. A. a. III 573 sq.

[4] Cfr Ov. Am. III 11, 29 sq.:

Iam mea votiva puppis redimita corona
Lenta tumescentis æquoris audit aquas.

[5] Cfr I 1, 26 sq., Ov. Rem. 125.

[6] HERTZBERG hæc verba de fusco quodam apud Carrhas genere harenæ (cum PASSERATIO) vel de colore terræ i. e. incolarum (sole perustorum) accipit, PALEY et POSTGATE de solo inundationibus Euphratis fecundo coll. Verg. Ge. IV 293 (Nilus) *viridem Aegyptum nigra fecundat harena.*

sisse Propertium non potuisse credere, quoniam animæ mortuorum certam suam sedem in Orco habebant. Cfr versum, qui proxime sequitur (7, 2):

Luridaque evinctos effugit umbra rogos

et III 18, 9:

His pressus Stygias vultum demisit in undas.

Itaque *nigræ harenæ* de mortuorum domicilio intellegendæ sunt. Nam flumina subterranea, per quæ animas vehebat Charon, cænosam harenam in ripas eicere apud Vergilium in libro sexto Aeneidos scriptum videmus, cuius fortasse rei Propertius memor erat. VI 295 sqq.:

Huic via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas.
Turbidus hic cæno vastaque voragine gurges
Aestuat atque omnem Cocyto eructat harenam.

(Cfr Ge. III 240 sq.:

una exæstuat unda
Verticibus nigramque alte subiectat harenam.)

415 sq.:

Tandem trans fluvium incolumes vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in ulva.

Similiter illa loca repræsentant Iuvenalis et Statius Vergilium imitati. Iuv. III 265 sq.:

Iam sedet in ripa tætrumque novicius horret
Porthmea nec sperat cænosi gurgitis alnum.

Stat. Theb. IV 521 sq.:

nigra patescunt
Flumina, liventes Acheron eiectat harenas.

Ceterum *nigræ harenæ* possunt universe explicari litora infera. Nam *nigrum* vocatur quicquid ad mortem atque inferos pertinet (cfr IV 11, 2 *ianua nigra* III 12, 33 *nigrantes domos animarum,* 28, 40 *ratis cærula,* Tib. I 3, 68 *flumina nigra,* III 3, 37 *nigramque paludem,* Verg. Aen. VI 320 *vada livida,* Ov. Met. XI 500 *Stygia nigrior unda,* Stat. Theb. XI 410 *nigris ab oris*), *harenam* autem dici pro *litore, ripa* notissimum est (cfr I 8, 21 *Tyrrhena harena,* III 14, 17 *Eurotæ harenis,* Cat. 64, 57 *in sola harena,* Ov. A. a. I 527 *in ignotis harenis*). Melior tamen videtur prior illa interpretatio [1].

IV 8, 37—42.

Lygdamus ad cyathos, vitrique æstiva supellex,
Et Methymnæi Græca saliva meri.
Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis [2],
Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus et ipse suos breviter concretus in artus
Iactabat truncas ad cava buxa manus.

Versu 42 omnes scribunt *nanus,* quod primus correxit Beroaldus pro codicum *magnus.* Sed vide ne admodum sit inconsiderata hæc correctio. Nam poeta illud convivium tam ad veritatem et præsentiam accommodatum narrare videtur, ut omnium qui adsunt tradantur nomina: Lygdamus, Nilotes, (Phidis?), Phyllis (v. 29), Teia (v. 31). Et sic etiam

[1] Hoc carmine (IV 6) a primis editoribus videntur duæ conflatæ esse Propertii conceptiones. Etenim opinor Propertium hanc elegiam versibus 11 sq., 67 sq. exceptis scripsisse ad Augustum celebrandum propter victoriam apud Actium reportatam, postea autem illos versus addidisse, ut carmen versibus 1—10, 13 sq., 69—86 seclusis inter αἴτια, quæ vocarunt, insereret. Amici, qui 11 sq., 67 sq. adscriptos invenerunt, ea re non perspecta omnia ediderunt.

[2] *Phillis* O, *Phidis* BVRMANN.

illius nani nomen adfert Magni, quod per iocum ei inditum erat, consentienter huius carminis festivitati. De hoc genere iocandi conferre licet Iuv. VIII 32 sqq.:

— nanum cuiusdam Atlanta vocamus,
Aethiopem Cycnum, pravam extortamque puellam
Europen; canibus pigris scabieque vetusta
Levibus et siccæ lambentibus ora lucernæ
Nomen erit pardus tigris leo.

Itaque non dubito codicum lectionem *Magnus* reponere.

Cap. II.

De quibusdam versuum transpositionibus.

De transpositis versibus Propertianis quia A. Otto nuper satis plene et prudenter disputavit (Die Versumstell. bei Properz. Erster Teil. Gross-Glogau 1884, Die Versumstell. in den vier ersten El. des vierten Buches des Prop. Comm. phill. in hon. A. Reifferscheidii. Vratisl. 1884, pp. 10—21, Die Versumstell. bei Prop., Berl. Phil. Wochenschr. 1885 coll. 481—87), mihi non opus est disserere amplius quam ut exponam, quibus potissimum de locis aliter ac doctissimus ille vir sentiam. Ceterum in hac re Vahleno[1] adsentior apud Propertium non nisi unum vel alterum distichon neque id in locum longius remotum esse transponendum.

I 16.

Postquam Otto[2] Bährensii transpositionem (11—12, 9—10) prospere impugnavit, hoc modo pergit[3]: "Unter diesen Umständen bleibt nichts übrig, als *has inter,* wenn die Worte nicht etwa verderbt sind, nach wie vor auf *noctes* zu beziehen und die Entfernung dadurch einiger-

[1] Beiträge zur Berichtig. der Eleg. des Prop., Monatsber. der kgl. preuss. Akad. der Wiss. zu Berlin 1881, p. 358.

[2] Versumstell. I p. 5.

[3] l. l. p. 6.

massen erträglich zu machen, dass man v. 11. 12. in Klammern schliesst und als Parenthese fasst.“

Et ita iam L. Müller edidit. Sed quam pæne desperata hæc sit ratio, opus non est ostendere. At mecum vv. 7 sq. post v. 12 insere: omnia cohærebunt.

Quæ fueram magnis olim patefacta triumphis,
Ianua Tarpeiæ nota pudicitiæ,
Cuius inaurati celebrarunt limina currus,
Captorum lacrimis umida supplicibus,
5 *Nunc ego, nocturnis potorum saucia rixis,*
6 *Pulsata indignis sæpe queror manibus,*
9 *Nec possum infames dominæ defendere noctes,*
10 *Nobilis obscenis tradita carminibus;*
Nec tamen illa suæ revocatur parcere famæ
Turpior[1] *et sæcli vivere luxuria.*
7 *Et mihi non desunt turpes pendere corollæ*
8 *Semper et exclusi signa iacere faces.*
13 *Has inter gravibus cogor deflere querelis,*
Supplicis a longis tristior excubiis.
15 *Ille meos numquam patitur requiescere postes,*
Arguta referens carmina blanditia.

Verba 'has inter' tum aptissime spectant ad *corollas* et *faces*. Atque illa 's i g n a e x c l u s i' melius memorantur p o s t 'rixas' et 'carmina'. Cfr Ov. Am. I 6, 67 sqq. Carmina illa *obscena* nimirum alia sunt quam quæ 'arguta b l a n d i t i a' (v. 16) refert amator supplex.

II 14.

Otto[2] adsentitur Fonteinio versus 13 sq. post 10 inserenti. Minime recte, credo. Nam primum illa 'immor-

---

[1] Corruptum.
[2] Versumstell. I p. 11.

talis' et 'sicco vilior lacu' manifesto inter se opposita sunt neque distrahenda. Deinde 'nec iam' (v. 13) post 'dum ibam' (v. 11) apte sequitur. Tum versus 15 ('atque utinam' cet.) nullo modo potest ad vv. 11 sq. se applicare, respondent enim 'iam' et 'tam sero' (v. 15). Neque quicquam refert, quod versus, quibus poeta priorem suum statum commemorat (11 sq.), inter eos, quibus præsentem felicitatem depingit (1—10, 13 sq.), positi sunt [1]. Nam versibus 13 sq. negat illam priorem infelicem conditionem manere *(nec fastus, nec lenta)*. Præterea vv. 11 sq. in parenthesi quadam dictos cogitandum est.

Post versum 18 haud scio an versibus 1—4 carminis 18 huius libri locus sit adsignandus. Nam ubi nunc scripti sunt, nullo modo placent. Carminis 18 versibus 5 sqq. Propertius Cynthiæ exprobrat, quod ipsum fastidiat, quamvis iuvenis sit, cum tamen Auroræ Tithonus etiam senex placuerit. At versibus 1—4 tradit præceptum quoddam amatorium viris utile, quod prorsus ad hunc locum quadraret:

Hoc sensi prodesse magis; contemnite, amantes.

Itaque priorem partem elegiæ 14 hoc modo scribendam censeo:

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Cum caderent magnæ Laomedontis opes,
Nec sic errore exacto lætatus Vlixes,
Cum tetigit caræ litora Dulichiæ,
Nec sic Electra, salvum cum aspexit Oresten,
Cuius falsa tenens fleverat ossa soror,
Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,
Dædalium lino cum duce rexit iter,
Quanta ego præterita collegi gaudia nocte:

[1] OTTO, l. l.

10 *Immortalis ero, si altera talis erit.*
(At dum demissis supplex cervicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.)
Nec mihi iam fastus opponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
15 *Atque utinam non tam sèro mihi nota fuisset*
Condicio! cineri nunc medicina datur.
Ante pedes cæcis lucebat semita nobis:
18 *Scilicet insano nemo in amore videt.*
18, 1 *Adsiduæ multis odium peperere querelæ:*
Frangitur in tacito femina sæpe viro.
Si quid vidisti, semper vidisse negato:
4 *Aut si quid doluit forte, dolere nega.*
19 *Hoc sensi prodesse magis; contemnite, amantes:*
20 *Sic hodie veniet, si qua negavit heri.*

II 15.

Otto[1] dicit Fonteinivm, qui vv. 17—22 alienos putavit, etiam 11—16 secludere debuisse, quoniam eandem sententiam atque illi contineant, sed totam partem cum priorum versuum lascivia optime concinere adseverat. Illud concedo, hoc falsum contendo.

Nam vv. 1—10 et 25 sqq. fervent amoris calore et exsultatione gratiaque ob noctem felicem, quam tandem puella ei concessit; cfr carmen 14. At in vv. 11 sqq. nihil horum invenio. Spirant manifesto offensionem quandam atque etiam iram in puellam, quia vestem inter concubitum ponere non vult, atque poeta exemplis e fabula sumptis, ut solet, eam commovere studet, ut nuda cubet, quod fere studium etiam carmine 14 libri tertii arguitur. Atque ne

[1] Versumstell. I p. 11.

amplius dubitemus, succurrit nobis v. 5 *(nam modo nudatis mecum est luctata papillis)*, cui prorsus repugnat tota hæc pars. Efficiunt igitur sine dubio vv. 11—24 unum et absolutum carmen: versu 23 *(oculos satiemus amore)* respicitur versus 12 *(oculi sunt in amore duces)*. Versus 23 sq. sunt apta carminis clausula, qualem fere habemus huius carminis vv. 53 sq. et I 19, 25 sq.:

Quare, dum licet, inter nos lætemur amantes:
Non satis est ullo tempore longus amor.

Contra vv. 25 sq. arto vinculo sunt copulati cum 9 sq., ad quos verba *sic hærentes* aperte spectant. Itaque vv. 1—10, 25—54 aliud iustum carmen sunt.

Quomodo autem vv. 11—24 in pravum illum locum inciderint, explicare non queo. Sed in elegiis quoque, quæ proxime scriptæ sunt, aliquot inveniuntur transpositiones haud ita leves.

II 16.

Prior pars huius elegiæ admodum est confusa. Nam, ut iam Otto animadvertit, vv. 29—30 pravum occupant locum[1]. Neque vv. 17 sq. pertinent ad versus, qui proxime antecedunt et sequuntur, ubi universe loquitur poeta (cfr *puella* 16 et 22). Certum mihi videtur vv. 17 sq. cum v. 11 cohærere[2], id quod duobus illis *semper* confirmatur. Sed 11 sq. non possunt e sede sua moveri, ut monuit Otto[3]. 'Iube', ait Propertius, 'prætorem, cum pauper factus erit, discedere: nempe dignitatem non curas, solam pecuniam'.

[1] De fab. Prop. p. 11. Neque tamen prorsus apto loco eos inseruit (post 22), cfr Otto, Versumstell. I p. 11 (ibi dubitanter post 26 ponit, at cfr infra).

[2] Iam Fonteinius 11 sq. post 16 posuit, id quod Bährensio placet.

[3] Versumstell. I p. 11.

Ergo 17 sq. post 12 transponendi sunt. Confirmat enim quod v. 12 contenderat Propertius his versibus (17 sq.), quibus exponit se hoc ipsum usu expertum esse. — Versu 15 quasi de integro exorsus poeta de avaritia puellarum infinite queritur. Ad hanc partem versus 29 sq. bene quadrant et quidem optime post 16 ponentur. Cynthiam rursus adloquitur versibus 23 sqq. iniuriam eius (cfr v. 31) notantibus.

Summa carminis eo modo dispositi hæc est:

1—6: Prætor Cynthiam pecunia vicit. 7—10: tu igitur, Cynthia, omni eius pecunia rapta ipsum mitte. 11—12, **17—18**: Nam Cynthia nihil curat nisi pecuniam. 13—14. Ille autem cupidine membra rumpat! — 15—16, **29—30**, 19—22: Ergo quivis amorem donis emere potest! Dona tamen sæpe fiunt perniciosa. Vtinam nemo esset dives! Tum puellæ essent castæ, 23—28: etiam tu, Cynthia [1], quam nunc ille barbarus, qua tu es levitate, possidet. [31—42: Se ipse accusat Propertius. 43—56: mala vota in Cynthiam facit.]

II 18 b, 31—32.

An si cæruleo quædam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco cærula forma bona est?

Bährens Ottone [2] probante hos versus post 28 transposuit. Equidem eos vel post 24 (cum Scaligero) vel post 26 (cum Lachmanno) inserendos esse arbitror. Nam hac interrogatione poeta luculente demonstrat illam *dementiam,* quam versu 23 castigat. Præterea *forma bona* cum *recta figura* (v. 25) et *cæruleo fuco* cum *externo nitore* (v. 24) et *Belgicus color* (v. 26) manifesto sunt coniungenda.

---

[1] Vide supra p. 12.
[2] Versumstell. I p. 13.

II 27, 5—6.

Seu pedibus Parthos sequimur seu classe Britannos,
Et maris et terræ cæca pericla viæ.

De his versibus transponendis Otto[1] hæc scripsit: "In welchem Verhältnis steht der hier ausgesprochene Gedanke zu seiner Umgebung, wie wächst er aus dem Vorhergehenden und wie leitet er zum Folgenden über? Und nimmt er nicht den Inhalt des nächsten Distichons bereits vorweg, obwohl dort rursus et die Erwartung von etwas Neuem erregt? Ich halte dafür, die fraglichen Verse erhalten erst dann ihre eigentliche Geltung wieder, wenn sie hinter v. 8 stehen und dort die Gefahren des Krieges weiter illustrieren."

Valde mirum, quod doctissimus vir non vidit poetam, varias mortis causas (itinera, bellum, incendium, venenum) enumerantem, versibus 5 sq. primum illud genus, versibus 7 sq. alterum indicasse, neque ulla ratione enumerationem a verbo 'rursus' incipere potuisse. De transpositione igitur[2] ne cogitandum quidem.

II 28.

Bährens versus 33—46 inter v. 2 et 3 ponendos censet, ut cum 1 sq. coniungantur, Otto autem, Passeratium secutus, nisi 33 sq. in hunc locum retrahere non vult, quod versus 35—46 a versuum 3 sqq. consilio et colore prorsus abhorreant[3]. Quamvis hoc verum sit, tamen tenendum est, totam illam partem (33--46) cum 1 sq. cohærere. Nam

[1] Versumstell. I p. 14.

[2] Nam Heimreich, qui hos versus post 12 transposuit (Quæstiones Propertianæ pp. 16 sq.), refutatione dignus non est.

[3] Versumstell. I p. 14: "Est ist ihm entgangen, dass die Idee und der ganze Ton dieser Verse von dem zu Anfang des Gedichtes herrschenden gänzlich verschieden ist".

versu 41 *(si non unius, quæso, miserere duorum)* respici versum primum *(Iuppiter, adfectæ tandem miserere puellæ),* quis neget? Quomodo autem nomen Iovis tam multis versibus, quibus Cynthiam adloquitur poeta, interpositis audiri possit [1]?

At in ea re erravit Bährens, quod vv. 33—46 e loco suo movit. Immo vero vv. 1 sq. ante 33 reponendi sunt [2]. Tum optime continuantur sententiæ. Versus 3—32 unum quasi carmen rotundum efficiunt ad Cynthiam scriptum. Versibus 3—14 causa morbi definitur. Versibus 3 et 4 causa proponitur æstus, quam versibus sequentibus reicit Propertius, numen aliquod esse ab ea læsum opinatus. Itaque versus 3 et 4 Propertii esse non possunt, sed Cynthiæ adsignandi sunt [3]. Versibus 15—32 spem clementiæ deorum præbet Cynthiæ et eam hortatur, ut illos precibus flectat. Tum aliud carminis membrum, e versibus 1—2 et 33—46 confectum, sequitur, quo poeta blanda oratione (formosa Cynthia est neque tamen Iuno indignabitur, artes magicæ nihil valent, ipse morietur, si Cynthia mortua erit) a Iove petit, ut eius misereatur. In hac elegia non debebat Otto [4] versus 39 sq. et 41 sq. sedes inter se commutare iubere. Nam recte dictum est: 'una mortem obibimus. Proinde miserere duorum. Cum ea enim vivam, cum

---

[1] Nam cum Lachmanno, cui adsensi sunt Hertzberg, Keil, L. Müller, Haupt-Vahlen alii, in versu 33 scribere: *Hoc tibi vel poterit, coniunx, ignoscere Iuno* mala est elegiæ laborantis medicina.

[2] Versus 3 sq. nullo vinculo conexos esse cum antecedentibus, quibus Iuppiter obsecratur, non intellexisse viros doctos (vide Lachmannvm p. 201) miror.

[3] (Causam morbis me rogas?) Venit *enim* tempus cet. Credibile est distichon illud (vv. 1 sq.) in initio carminis tripartiti positum esse a scriba, qui non intellexerit, orationem ab illo 'enim' incipere posse. Cfr tamen I 8 'igitur', 17 'et', II 10 'sed', 27 'at', III 7 et 23 'ergo'.

[4] Versumstell. I p. 14.

ea moriar.' Sensus versuum 39 sq. maiore vi iteratur v. 42. Cfr etiam quæ sequuntur 'pro quibus optatis', quæ ad v. 41 spectant.

Hoc igitur modo distribuendum carmen 28 pro certo habeo:

I. Ad Cynthiam ægrotantem cohortatio.
vv. 3—32.

II. Ad Iovem preces.
vv. 1—2, 33—46.

III. Gratiarum actio et ad Cynthiam recreatam cohortatio.
vv. 47—62.

III 7.

Ordinem versuum huius elegiæ omnino rectum esse atque SCALIGERVM et BÄHRENSIVM audacibus transpositionibus frustra laborasse VAHLEN [1] et OTTO [2] iam ostenderunt. Quod autem VAHLEN versus 25—28 suo loco servat verbo *reddite* poetam *undas* maris adloqui ratus, adsentior OTTONI [3] non contigisse illi, ut hanc sententiam probaret. OTTO ipse difficultatem, quæ hoc loco omnes offendit interpretes, tollere vult versibus 13—16 post 24 inserendis, ut Aquilo et Neptunus appellentur. Et recte hoc quidem, credo. Nam et aptissime [4], ut humo corpus reddant, rogantur illi, quos poeta Pætum indigne in undas rapuisse (cfr *spolia* v.

[1] Üb. die Pætus-Elegie des Prop., Sitzungsber. der königl. Preuss. Akad. der Wiss. 1883 III.

[2] Versumstell. I pp. 19—21.

[3] l. l. p. 21.

[4] Hoc contra VAHLENVM iudico, qui scripsit (l. l. p. 82): "genau betrachtet, dürfen auch Boreas und Neptun, die im Sturm das Meer aufgewühlt und den Unglücklichen in's Verderben gezogen haben, die geeigneten Mächte nicht sein, von denen der Dichter begehre, dass sie den Leichnam der Erde zurückgeben". Cfr etiam OTTO l. l. p. 21.

14) nuperrime dixerat, non undæ, quarum cur sit ad terram portare corpus[1], ex hoc loco non colligitur, et vv. 13—16 quo loco nunc scripti sunt non tam præclare conveniunt, quam VAHLEN putavit, de qua re vide OTTONEM[2]. Adde quod formæ illæ temporis præteriti (fuere, portabat) aptius videntur sequi post descriptionem naufragii, quæ e vv. 5—12 continuatur in vv. 17—20[3]. Itaque pro certo habeo et vv. 1—12 cum 17—20 et 13—16 cum 25—28 cohærere.

At tamen OTTO male, puto, v. 13—16 post 24 transposuit, quia poeta non potuit quærere: *quæ spolia ex illo tanta fuere tibi?*, postquam de Agamemnone et Argynno locutus est vv. 21—24. Neque hi versus (21—24) tam arte cohærent cum versibus 17—20, quam VAHLEN credit. Etenim ille contendit[4] poetam versibus 21—28 probare velle id quod v. 18 dixerat, undam non habere deos. Minime credo. Et Argynni exemplo e fabula sumpto et morte Pæti poeta comprobare vult, quam periculosum sit se mari credere (cfr. v. 28: *et audaci tu timor esse potes*), de qua re fusius disputat versibus 39—46. Nec quicquam impedivisset, quominus Propertius fabulosum illud argumentum poneret post versus, qui sunt de præsenti re, ut sæpissime fecit. Exempla hæc sufficient:

II, 4, 5 sqq.

Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post hæc æqua et iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,
Cognitus Iphicli subripuisse boves.

Huius carminis vv. 37 sqq.

---

[1] Cfr II 26, 44: *Me licet unda ferat, te modo terra tegat.*
[2] l. l. pp. 20 sq.
[3] Cfr *primo ævo* v. 8 et *ætatem* v. 17, *mater* v. 9 et 18.
[4] l. l. p. 80, LACHMANNVM secutus. Cfr etiam OTTO l. l. p. 19.

Natura insidians pontum substravit avaris:
Vt tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga cum vasto Græcia tracta solo est.

Atque ubi poeta, ut exemplum conectat, utitur formula illa 'testis est'[1], a qua non multum differt huius loci 'testantia sunt'[2], fabula sequatur necesse est. Quare persuasum mihi est et versus 13—16 post 17—20 et 21—24 post 25—28 transponendos esse. Tum etiam versus 29 *(ite, rates curvas et leti texite causas)* percommode se applicat ad *classem* v. 23.

Videamus igitur vv. 1—30 idoneo ordine scriptos:

Ergo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ es!
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes:
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Pœtum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit ævo,
Et nova longinquis piscibus esca natat,
Et mater non iusta piæ dare debita terræ
Nec pote cognatos inter humare rogos,
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinæ,
12 *Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare est.*
17 *Pœte, quid ætatem numeras? quid cara natanti*
Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis

[1] II 13, 53. 26, 47. III 15, 11. 19, 11 et 13. 20, 18, testatur III 17, 7.

[2] 'Testantia' bis cogitandum est, ut sit: 'testes sunt litora quæ testantur'.

20 *Omnia detrito vincula fune cadunt.*
13 *Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ,*
Quæ spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
16 *Portabat sanctos alveus ille viros.*
25 *Reddite corpus humo: posita est in gurgite vita;*
Pætum sponte tua, vilis harena, tegas;
Et quotiens Pæti transibit nauta sepulchrum,
28 *Dicat 'et audaci tu timor esse potes'.*
21 *Sunt Agamemnonias testantia litora curas,*
Qua notat Argynni poena minantis aquæ[1].
Hoc iuvene amisso classem non solvit Atrides,
24 *Pro qua mactata est Iphigenia mora.*
29 *Ite, rates curvas*[2] *et leti texite causas:*
30 *Ista per humanas mors venit acta manus.*

IV 5.

Postquam Lütjohann[3] multos huius carminis versus transposuit (21—28, 57—60, 37—46, 29—36, 47—56) et Voigt[4] ordinem librorum, ut solet, tutatus est, Otto[5] ceteris loco suo servatis versibus 45 et 46 ante 29 sedem dedit. "Die Kupplerin", inquit, "giebt dem Mädchen den Rat, sich nach den Launen" (Propertius: *mores*) "des Mannes zu richten. Vorher hatte sie ihr Mittel an die Hand gegeben, den Liebhaber durch schlaue Zurückhaltung und Erregung der Eifersucht zu quälen und an sich zu fesseln, in demselben Tone fährt sie auch 47 ff. fort." Hoc nihil est falsius. Vv. 29—44 anus præcipit, ut puella ad

[1] Malo hunc versum non emendatum relinquere.
[2] Incerta coniectura.
[3] Comm. Prop. pp. 33 sq.
[4] De quarto Prop. libro pp. 66 sqq.
[5] Berl. Phil. Wochenschr. 1884 N:o 16, col. 482.

magnam pecuniam parandam amatori se fingat difficilem, at vv. 49–53 ut ad multam pecuniam accipiendam etiam viris importunis se præbeat facilem et comem. Nonne apparet vv. 45 sq. ad hanc posteriorem partem pertinere[1]? Incommode autem vv. 47 sq. nexum sententiarum abrumpunt. Itaque duo illa disticha (45 sq., 47 sq.) locum mutare debent. Aptissime 47 sq. transitum faciunt ad alteram orationis partem, ubi de viris pecuniosis promiscue admittendis agitur: *ianitor ad dantis vigilet:* nullam scilicet aliam rem velut speciem, genus, mores curet. At Otto versus 45 sq. inter 28 et 29 intrusit, ut illud *et* (v. 29, vertit 'auch') intellegi posset. Audio. At recto ordine sententiarum turbato insuper *simulare* in *stimulare* mutare cogitur, quanquam, quia lena versibus qui sequuntur usque ad v. 45 varia simulandi genera fructuosa commendat, hæc mutatio ratione et via caret. Nos potius reputemus, quo conexu v. 29 cum superioribus sit coniunctus. Puella ut pecuniam ad vestes pretiosas emendas accipiat, monetur ut pudicitiam frangat i. e. pudore prætermisso cum aliis viris rem habeat. At tamen, inquit lena, memento in viris quærendis simulatione opus esse ad pretium augendum. Itaque repone: *At simulare virum pretium facit*[2].

Ceterum non nulli etiam hæserunt in voce *virum*. Ad *simulare*[3] non est trahendum iam ea causa, quod hoc versu præceptum ad totam pertinens partem traditur[4]. Neque ego dubito 'simulare virum pretium facit' explicare

[1] Si cantica iactat i. e. 'si quis histrio (cfr miles 49, nauta 50, barbara colla 51) te adit et canticis suis te fatigat'.

[2] 'At' et 'et' in libris sæpissime confundebantur, cfr huius poetæ I 5, 9. II 32, 53. III 21, 6. IV 2, 49.

[3] Sic Paley.

[4] Cfr etiam Lachmannvm ad hunc locum (p. 364).

'simulatio efficit ut ex viro lucrum facias'[1] cum HERTZBERGIO[2], qui confert IV 1, 81 *nunc pretium fecere deos*. Addo locum non ita dissimilem II 4, 25:

Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?

Si quis nihilo minus verba 'simulare virum pretium facit' corrupte tradita putabit, proponam coniecturam, quæ certe et facilis est et sententiæ favet:

At simula duram: pretium facit; utere causis:
Maior dilata nocte recurret amor.

---

[1] Hanc explicationem improbat LÜTJOHANN (comm. Prop. p. 13) causis non sufficientibus; cfr VOIGT l. l. p. 67.

[2] III p. 450. Male autem ad 'simulare' audit *cupidinem*, cum pæne prorsus contrariam sententiam requirat series orationis.

Indices.

I. Versus emendati.

II. Versus explicati et vindicati.

III. Versus transpositi.

IV. Versus suo loco servati.
